ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

OPUSCULA BIBLICA PONTIFICII COLLEGII ANGELICI

DE HISTORIA CANONIS UTRIUSQUE TESTAMENTI

DISSERUIT

P. SERAPHINUS M. ZARB O. P.

S. THEOL. LECT. ET S. SCRIPT. LIC.

MANUSCRIPTI INSTAR

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

ROMAE

1929

Property of
COSA
Please return to
Graduate Theological
Union Library

DE CANONE UTRIUSQUE TESTAMENTI

PROLEGOMENA

1. Nomen Canonis. [1] — *Canon* a graeca voce κανών, quae eadem est ac *qâneh* in lingua hebraica, plures habere potest significationes :

I. In sensu profano :

α) Primitiva significatio est *canna* (κάννα), *calamus*, *arundo*.

β) Derivate significat *virgam ligneam* ad aliquid sustentandum, ita e. gr. Iudith XIII, 6 (LXX) ; Vulgata XIII, 8 : *columna*. Sic virgae ligneae transversales in scutis (cf. Illyadem, VIII, 193 ; XIII, 407). Item *liciatorium*, quo texitores utuntur. Et tandem artificum *regula*, sive ad superficiei rectitudinem comprobandam, sive ad mensurandum, ita e. gr. Iob. XXXVIII, 5 (Aquila), LXX, σπαρτίον, Vulgata : *linea*.

γ) A sensu derivato materiali facilis erat transitus ad sensum metaphoricum, sive ethico, *regula* seu *norma morum* (Arist., Ethic. ad Nic., III, 4, 5) ; sive in litteratura, sic auctores classici sunt 'canon', sive in arte.

δ) Κανόνες χρονικοί sunt historiae periodi, quasi confines temporum ; praeterea κανών significat etiam *summarium, argumentum, synopsim* (cf. Canones Eusebii in N. T.), et tandem etiam *elenchum, catalogum* librorum...

(1) Cf. *Credner K. A., *Zur Geschichte des Kanons*, Halle 1847, pp. 3-68. *Westcott, B. F., *A general survey of the History of the Canon of the N. T.* [6] Cambridge and London 1881, appendix A. *On the History of the word* ΚΑΝΩΝ, pp. 504-511. *Holtzmann H. J., *Einleitung in das Neue Testament* [3], Freiburg in Br. 1892 ; pp. 142 ss. P. Höpfl H., O. S. B., *Introd. Generalis* [2], Romae 1926, pp. 23-31.

355
ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

ε) Habetur etiam sensus passivus, aliquid mensuratum, ut *taxatio* solvenda: vel etiam compositio musica *secundum determinatam melodiam* (1).

II. In sensu religioso:

α) In V. T. vox κανών apud LXX (Iudith XIII, 6) et apud Aquilam (Iob XXXVIII, 5) sumitur in sensu proprio materiali: in N. T. vero occurrit in sensu morali bis (vel ter), scilicet: in sensu activo: ***regula morum*** ad Gal. VI, 16: " Quicumque hanc regulam (κανόνι) secuti fuerint „ scilicet fidem Christi crucifixi: confer etiam ad Phil. III, 16 " et in eadem permaneamus regula (κανόνι secundum mss. D E) „; in sensu passivo occurrit in 2 Cor. X, 13, 15: " Nos autem non in immensum gloriabimur, sed secundum mensuram regulae (κανόνος), qua mensus est nobis Deus, mensuram pertingendi usque ad vos.... 15. non in immensum gloriantes in alicuius laboribus: spem autem habentes crescentis fidei vestrae, in vobis magnificari secundum regulam (κανόνα) nostram in abundantiam, 16. etiam in illa, quae ultra vos sunt, evangelizare, non in aliena regula (κανόνι) in his quae praeparata sunt gloriari „. Κανών in ista pericopa est evidenter passive sumptus, est scilicet regio ***mensurata***, quae Paulo ad evangelizandum commissa est. Prior sensus frequens est in lingua κοινή, alter vero nonnisi posteriori tempore in usu invenitur (2).

β) Apud Patres κανών in sensu religioso morali saepe occurrit (3). Praeterea frequentes sunt expressiones: ὁ κανὼν τῆς ἐκκλησίας, ὁ κ. τῆς ἀληθείας, ὁ κ. τῆς πίστεως (4). Inde a saeculo IV leges Ecclesiae (ius canonicum), definitiones ac conciliorum decreta *canones* vocantur. Praeterea notandus est sensus passivus vocis κανών. Sic Psalmi

(1) Pro his variis significationibus cf. Lexica Graeca; et pro tempore linguae κοινή, cf. * Moulton et * Milligan, *The Vocabulary of the Greek Testament illustrated from the Papyri and other non-Literary sources*, London P. IV ed. a. 1920, *s. v.*

(2) Cf. * Moulton et * Milligan, *op. cit.*, *s. v.*

(3) Iam S. Clemens Rom., *ad Cor.*, c. I (PG, I, 208), c. VIII (PG, I, 224) etc.

(4) Cf. * Westcott, *op. cit.*, p. 506 et n. 6.

determinati ad officium liturgicum dicuntur *canonici*, *horae canonicae*, sicut et personae ad hoc officium designatae, *canonici*.

γ) Ante S. Athanasium (295-373) vox κανών non occurrit ad designandam collectionem ss. librorum ; voces tamen derivatae κανονικός, κανονίζω, iam inveniuntur apud Origenem (1). Quidam tamen de hoc dubitant, cum loci ubi occurrunt κανονικός, κανονίζω in versione Rufini latina ad nos pervenerint (2). Clarissime de scripturarum inspiratarum canone loquitur Amphilochius (c. 380) (3).

Quaeritur nunc quisnam sit sensus vocis κανών, qua ss. Scripturae indicantur : utrum scilicet vox κανών sumi debeat sensu *activo*, quatenus ss. libri sunt regula fidei ; an sensu *passivo*, quatenus ss. libri canonizati sunt per regulam fidei ab Apostolis acceptam ; vel quatenus κανών indicat numerum clausum ss. librorum cui neque addi nec minui amplius possit.

Solutio huius quaestionis evidenter pendet a significatione vocis κανών, quando prima vice adhibita est ad ss. libros significandos. In posteriori historia enim occurrit κανών tum in sensu activo, tum in sensu passivo. Communiter auctores tenent pro sensu activo (4), alii tamen sensum passivum (5) defendunt, et forsitan merito. Nam non solum vox κανονικός, qua ss. libri ab Origene iam designantur, est passiva, sed etiam voces synonymae, quibus alii Patres utuntur ad idem conceptum exprimendum, sunt passivae. Ita ἐνδιάθηκος (Orig.,

(1) Origenes, *De Princ.*, IV, 33 (PG, XI, 407) ; ***in Jos.***, ***Hom.*** 2, 1 (PG, XII, 834) ; ***In Cant,*** Prol. (PG, XIII, 83) ; ***In Matth.***, 23 (PG, XIII, 1637).

(2) Ita * Redepenning, *Origenes. Eine Darstellung seines Lebens und seiner Lehre*, Bonn 1841-1846, I, 239. Quem secutus est * Credner, *op. cit.* - Vid. etiam Cornely, *Introductio in V. T. Libros Sacros*, Parisiis 1894, I, p. 27, n. 8.

(3) Amphilochius, *Iambi ad Seleucum*, apud * Westcott, *op. cit.*, p. 556 ss.

(4) Ita * Credner, *op. cit.*, p. 67 ; Kaulen, *Einleitung in die Heilige Schrift*, Freiburg 1898, p. 2. Cornely, *op. cit.*, p. 26 et 28 ; * Buhl, *Kanon und Test des A. T.*, Leipzig 1891. p. I.

(5) Ita * Westcott, *op. cit.*, p. 507. Magnier, *Étude sur la Canonicité des Saintes Écritures*, I, p. 260, 173 ss. Van Kasteren, *Le canon Juif vers le commencement de notre êre*, in *Revue Biblique*, V (1896) 409 s. P. Höpfl, *op. cit.*, p. 28.

Sel. in Ps., PG XII, 1084), ἐνδιάθετος (Euseb., Chronic. II, 84, PG, XIX, 478), κανονιζόμενος (Athanas., Ep. fest., 39, PG XXVI, 1176), ὡρισμένος καὶ κεκανονισμένος (Ps. Athanas., Syn. S. Script., PG, XXVIII, 284), ἐκκλησιαζόμενος (Cyrill. Hier., Catech., 13; PG, XXXIII, 885), ἔγκριτος et ἐγκρινόμενος (Antiochus, Prol., PL, LXXXIX, 1428). Quibus addi possunt ἀκανόνιστος (Conc. Laodicenum, can. 59) et ἀόριστος (Ps. Athanas., Synop. S. Script., PG, XXVIII, 284). Item suadet verbum κανονίζω (βιβλία κανονιζόμενα), quod canonicum declarare significat.

Canon ergo significat collectionem sacrorum librorum, qui ab Ecclesia ut tales agnoscuntur, et fidelibus ut norma fidei proponuntur.

2. Canonicitas et Inspiratio. — Intima est relatio inter inspirationem ac canonicitatem; sed tamen aliud et aliud significant.

Inspiratio enim indicat positivum Dei influxum in hagiographum ad scribendum: Canonicitas vero est receptio et proclamatio alicuius libri ut inspirati ab Ecclesia facta.

Fundamentum autem talis receptionis et proclamationis est divina ss. Librorum inspiratio. Dicit enim Conc. Vaticanum: " [V. et N. T. libros] Ecclesia pro sacris et canonicis habet... propterea quod Spiritu Sancto inspirante conscripti Deum habent auctorem, atque ut tales ipsi Ecclesiae traditi sunt „ (Ench. Bibl., n. 62). Hinc nullus liber potest " canonicus „ declarari, nisi sit inspiratus; sed liber inspiratus, absolute loquendo, potest non esse canonicus. Sic quidam libri nonnisi post longum tempus ut " canonici „ agniti sunt: ergo fuit tempus in quo non erant canonici: praeterea dantur etiam libri, verosimiliter inspirati, sed deperditi, qui ergo ab Ecclesia numquam fuerunt recepti neque ut canonici proclamati.

Bene ergo notat P. Schultes:

" α) Omnes libri canonici, i. e. in canonem ecclesiasticum relati, simul habentur inspirati et ut tales Ecclesiae traditi: Ecclesia enim nullum librum tanquam canonicum accipit et proponit nisi quia est inspiratus et Ecclesiae traditus.

" β) Omnes libri qui vere ac proprie sunt inspirati, simul Ecclesiae *traditi* esse videntur, saltem *de facto*: non enim apparet

ratio ob quam Deus librum inspiratum, cuius ipse est auctor, Ecclesiae non tradiderit, sc. tanquam fontem verbi divini; possibilitas vero absoluta non excluditur, ut sc. Deus aliquem librum *possit* inspirare quin illum Ecclesiae tradat.

" γ) Aliquis liber inspiratus et Ecclesiae traditus in canone ecclesiastico deesse potest, utpote deperditus: sufficit enim, omnes libros canonicos esse revera inspiratos et traditos et nullum librum inspiratum ac Ecclesiae traditum, e canone *positive* excludi (cf. 1 Cor. V, 9) „ (1).

3. **Criterium Canonicitatis.** — Haec quaestio intime haeret simili quaestioni de criterio inspirationis, quae est ratio canonicitatis; immo unum idemque videtur esse iudicium, quo Ecclesia declarat aliquem librum esse " sacrum et canonicum „, quamvis inspiratio, ut diximus, non sit idem ac canonicitas.

Criterium autem inspirationis alicuius libri debet esse ipso libro extrinsecum ac supernaturale: inspiratio enim est factum historicum quidem, sed supernaturale. Hinc criterium inspirationis nequit inveniri nisi in fontibus revelationis, videlicet in S. Scriptura atque in traditione divina, quae sunt regula inanimata et remota, atque in Ecclesiae infallibili magisterio ut regula fidei proxima (2).

Hoc sane valere potest solum pro historia canonis in aevo Christiano; sed quid de criterio canonicitatis in vetere oeconomia? Hinc duplex quaestio: α) de criterio canonicitatis apud Iudaeos; et β) apud Christianos.

α) *Criterium canonicitatis apud Iudaeos.* — Imprimis reicienda est sententia quorumdam antiquorum theologorum, qui synagogae, sicuti Ecclesiae Christianae, charisma infallibilitatis tribuebant; gratis enim hoc omnino asseritur. Admitti tamen debet aliqua externa regula, qua fideles manuducebantur in agnitionem sacrorum librorum; quaenam vero fuerit regula ista ignoratur. *De facto* omni

(1) P. Schultes R., O. P., *De Ecclesia Catholica*, Parisiis 1926, p. 514.

(2) Cf. Opusculum nostrum: *De Exsistentia et Natura inspirationis Biblicae*, § 4 (p. 7-10).

tempore fuerunt in populo electo prophetae, seu legati a Deo missi, quibus instructio et manuductio populi commissa erat : ipsique non raro divinam suam missionem miraculis comprobarunt.

Mortuo autem Malachia, ultimo prophetarum, munus propheticum quoad ss. librorum conservationem devolutum esse videtur ad scribas Esdrae successores. Regula ergo externa et supernaturalis, qua fideles in cognitionem ss. librorum ducebantur, fuerunt probabiliter prophetae atque homines a Deo huic muneri destinati.

Seriori tempore Pharisaei videntur statuisse tres conditiones pro canonicitate sacrorum librorum :

1° *Antiquitas*, ita ut nullus esse posset liber sacer tempore Esrae posterior. Cf. Fl. Iosephus, *Contra Appionem* I, § 8.

2° *Lingua hebraica*, revera enim libri Esdrae antiquiores sunt omnes lingua hebraica exarati, si pauca fragmenta aramaica excipias ; praeterea prohibitum erat legere *targumim* in synagogis (1). Hoc etiam suadet odium Pharisaeorum inde a saec. II in versionem alexandrinam et servilismus versionis Aquilae.

3° *Conformitas cum Torah*, libri enim prophetarum et hagiographa, eatenus in canonem recipiebantur a Pharisaeis, quatenus poterant considerari ut commentaria *Legis*. Lex tamen intellegi debet secundum Pharisaeorum interpretationem. Unde tertia conditio reducitur ad conformitatem cum Pharisaeorum doctrina (2).

β) *De criterio canonicitatis apud Christianos.* Divisio ss. librorum in Vetus et Novum Testamentum non est solum doctrinalis, quatenus priores loquuntur de Christo venturo, posteriores de Christo qui iam venit ; sed etiam consequenter est divisio chronologica quatenus designat libros V. T. fuisse iam compositos ante Christi adventum ; unde si canon V. T. ante Christum *de facto* non fuerit clausus, nullus tamen liber addi ei poterat, qui post Christi adventum compositus fuerat. Ecclesia a Christo atque ab Apostolis edocta, eccepit libros V. T. eisque copulavit canonem librorum N. T. Hoc

(1) Cf. Jer. *Meg.* IV, 74 d ; *Sabb.* 115 a.

(2) Cf. Loisy, *Histoire du Canon de l'A. T.*. Paris 1891, p. 41 s. Kaulen, *op. cit.*, p. 22. Van Kasteren, *op. cit.* pp. 590 s.

ipsa praestitit mediante infallibili magisterio sibi a Christo conlato, quod tamen in S. Scriptura, Divinaque traditione fundatur.

Haec fuit constans Christianorum fides. Sic in antiqua regula fidei, quae passim " Symbolum Concilii Toletani I „ dicitur (saec. V), Can. 12 definitur: " Si quis dixerit vel crediderit, alias scripturas praeter quas Ecclesia catholica recipit, in auctoritate habendas vel esse venerandas, anathema sit „ (Ench. Bibl., n. 22).

Item in Epistula " Super quibusdam „ Clementis VI (1342-1352) ad Consolatorem, Catholicon Armenorum, legitur: " Quartodecimo, si credidisti et credis Novum et Vetus Testamentum in omnibus libris, quos Romanae Ecclesiae nobis tradidit auctoritas, veritatem indubiam per omnia continere „ (Ench. Bibl., n. 31).

Item Concilium Parisiense 1527-1528 dicit: " Obortis igitur de fide dissidiis, frustra saepe Scriptura consulitur, nisi Ecclesiae certa et infallibilis litem dirimat auctoritas, quae canonicum librum ab apocrypho, catholicum sensum ab haeretico, germanum ab adulterino, discernat.....

" In enumerandis itaque canonicae Scripturae libris, qui praescriptum Ecclesiae usum et auctoritatem non sequitur, sacrum Carthaginense Concilium tertium, Innocentii et Gelasii decreta, et denique definitum a Sanctis Patribus librorum catalogum respuit, aut in exponendis Scripturis non *pascit haedos* suos *iuxta tabernacula pastorum* [Cant. I, 7], sed fodit sibi *cisternas dissipatas, quae continere non valent aquas* [Ier. II, 13]: et spretis orthodoxorum Patrum vestigiis, proprii spiritus iudicium sequitur: is veluti schimaticus et haereseon omnium incentor et fautor a tanta temeritate reprimatur „ (Ench. Bibl., n. 38 s.).

Ecclesia autem duplici modo tradit quinam sint libri canonici: 1° Expressis verbis, definiendo catalogum sacrorum librorum; 2° Facto, seu Ecclesiarum usu constanti ac communi alicuius libri, ut divini, tum ad dogmata confirmanda, tum in S. Liturgia.

1° Ecclesia pluries sacrorum librorum catalogum definivit, et quidem *sive* omnes libros canonicos enumerando, uti in Conciliis Laodicenum c. a. 360 (Ench. Bibl., n. 8-10), Hipponensi a. 393 (En. Bibl., n. 11-13), Carthaginensi III, a. 397 et Carthaginensi a. 419

celebrato (Ench. Bibl., n. 14); item Innocentius I, 401-417, (Ench. Bibl., n. 16), Decretum Gelasianum, quod etiam tribuitur S. Pontificibus S. Damaso atque Hormisdae (Ench. Bibl., n. 19-20); et tandem in Conciliis Florentino, in Decreto pro Iacobitis, a. 1441, (Ench. Bibl., n. 32), et Tridentino, in Sess. IV, a. 1546, (Ench Bibl., n. 42-44); *sive* alicuius libri canonicitatem definiendo, e. gr. Concilium Toletanum IV (a. 633) definivit canonicitatem libri Apocalypsis: " Apocalypsim librum multorum Conciliorum auctoritas et synodica sanctorum praesulum Romanorum decreta Ioannis evangelistae esse perscribunt, et inter divinos libros recipiendum constituerunt, et quamplurimi sunt qui eius auctoritatem non recipiunt atque in Ecclesia Dei praedicare contemnunt. Si quis eum deinceps aut non receperit, aut a Pascha usque ad Pentecostem missarum tempore in ecclesia non praedicaverit, excommunicationis sententiam habebit „ (Ench. Bibl., n. 25). Item Commissio Pontificia de Re Biblica asseruit canonicitatem Epistularum Pastoralium (Ench, Bibl., n. 425) atque Epistulae ad Hebraeos (Ench. Bibl., n. 429).

2° Usus constans et communis Ecclesiarum:

α) In S. Liturgia et praesertim in ea parte, in qua sola S. Scriptura legi solet; ex. gr. in Epistulis et Evangeliis Missae, in Prophetiis et Lectionibus, quas, statutis anni temporibus, Ecclesia tamquam Scripturas legendas proponit, uti in Pervigilio Paschatis; in Lectionibus primi Nocturni in Breviario. E contra aliae Liturgiae partes, ex. gr. Missae Introitus, Offertorium, Responsoria Divini Officii, etc., ex libris non canonicis aliquando depromptae sunt: ita Introitus Missae in feria II Pentecostes depromptus est ex IV Esdrae, c. II, 36, 37: *accipite iucunditatem gloriae vestrae gratias agentes Deo, qui vos ad coelestia regna vocavit*; item Introitus Missae B. M. V.: *Salve sancta Parens*, etc., desumptus est a poeta. Idem dicendum de Responsoriis Divini Officii, ubi etiam occurrit, in communi Apostolorum, illud: *Modo coronantur et accipiunt palmas*, ex 4 Esdrae, c. II, 45. Itaque ex primis quidem Liturgiae partibus, minime vero ex secundis, validum duci potest argumentum, quo alicuius libri divinitas evincatur. (1)

(1) Dondero A., *Instit. Bibl.*, Genuae 1895, p. 56, n. 2.

β) Ad dogmata vel doctrinam Christianam confirmandam, ut fit in Conciliis, decretis, Patrum et Episcoporum scriptis etc...

Hic usus Ecclesiae debet esse constans et communis, quia Ecclesiae particulares non gaudent infallibilitate, et ideo accidere, potest ut Ecclesia aliqua particularis erret et libro apocrypho pro sacro ac canonico utatur. Constans autem et communis usus signum est evidentissimum Ecclesiam libros, quibus eo modo utitur, a Christo atque ab Apostolis accepisse.

Hinc Patres priorum saeculorum et Concilia saepe ad hunc usum appellant, tum ad probandam inspirationem et canonicitatem sacrorum librorum; tum ad libros apocryphos e numero librorum in Ecclesia legendorum supprimendos.

α) *Concilia.* — In canone Muratoriano de libro Pastoris Hermae legimus " et ideo legi eum quidem oportet, se publicare vero in Ecclesia populo neque inter prophetas completo numero, neque inter Apostolos in fine temporum potest „ (vv. 77-80, Ench. Bibl., n. 7)

Conc. Laodicenum (c. a. 360): Can. 59: " Quod non oportet privatos et vulgares aliquos psalmos dici in Ecclesia, nec libros non canonicos, sed solos canonicos Veteris et Novi Testamenti „ (Ench. Bibl., n. 8).

Concilium Hipponense (a. 393), et duo Carthaginensia (a. 397, 419) edicunt: " [Placuit] ut praeter Scripturas canonicas nihil in Ecclesia legatur sub nomine divinarum scripturarum „ (Ench. Bibl., num. 11).

Et Conc. Carthaginense (a. 419) concludit: " Hoc etiam fratri et consacerdoti nostro sancto Bonifacio, urbis Romae episcopo, vel aliis earum partium episcopis pro confirmando isto canone innotescat, quia a Patribus ita accepimus in Ecclesia legendum „ (Ench. Bibl. n. 15).

Concilium Toletanum IV (a. 633) de Apocalypsi dicet: " Si quis eum deinceps aut non receperit, aut a Pascha usque ad Pentecostem missarum tempore in ecclesia non praedicaverit, excommunicationis sententiam habebit „ (Ench. Bibl., n. 24).

Tandem Concilium Tridentinum in decreto de canonicis Scrip-

turis dicit : " Si quis autem libros ipsos cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia catholica legi consueverunt et in veteri vulgata latina editione habentur pro sacris et canonicis non susceperit, et traditiones praedictas sciens et prudens contempserit, anathema sit „ (Ench. Bibl., n. 45). Et in altero decreto de editione et usu sacrorum librorum legitur : " Insuper eadem sacrosancta Synodus, considerans non parum utilitatis accedere posse Ecclesiae Dei, si ex omnibus latinis editionibus, quae circumferuntur sacrorum librorum, quaenam pro authentica habenda sit, statuit et declarat, ut haec ipsa vetus et vulgata editio, quae longo tot saeculorum usu in ipsa Ecclesia probata est, in publicis lectionibus, praedicationibus et expositionibus pro authentica habeatur, ut nemo illam reiicere quovis praetextu audeat vel praesumat „ (Ench. Bibl., 46).

β) *Patres.* S. Irenaeus (140-c. 202) *Adv. Haer.*, III, XI s. (PG, VII, 892 ss.) — Clemens Alex. (150-216 ?) *Strom.* III, XIII PG, VIII, 1194) — Tertullianus (c. 160-222) *Adv. Marc.*, IV, V (PL, II, 395) : " In summa, si constat id verius quod prius, id prius quod et ab initio, id ab initio, quod ab apostolis ; pariter utique constabit, id esse ab apostolis traditum, quod apud Ecclesias apostolorum fuerit sacrosanctum... „ Origenes (185-254). *In Luc.*, Hom. I (PG, XIII, 1803) : " In his omnibus nihil aliud probamus nisi quod Ecclesia, id est quattuor tantum Evangelia recipienda „. Athanasius, *Ep. fest*, 39 (PG, XXVI, 1176) ubi reprobantur libri apocryphi, solique sacri accipiendi dicuntur quia " certis testimoniis, quemadmodum Patribus tradidere, qui ab initio ipsi viderunt et ministri fuerunt sermonis... „ S. Augustinus (354-430) saepe loquitur de libris deuterocanonicis, eosque acceptat propter auctoritatem Ecclesiae : Sic in *De Civ. Dei*, XVIII, 36 : " Machabaeorum libros non Iudaei sed Ecclesia pro canonicis habet.... „ In de *Praedest. Sanct.* 14 : " Non debuit repudiari sententia libri Sapientiae, qui meruit in Ecclesia Christi de gradu lectorum tam longa annositate recitari et ab omnibus Christianis, ab Episcopis usque ad extremos laicos, fideles, poenitentes, catechumenos, cum veneratione divinae auctoritatis audiri... „ Et reprobando libros apocryphos scribit *ad*

Quintianum Epis., 3 : " Vos ipsi prius nolite in scandalum mittere Ecclesiam, legendo in populis Scripturas quas Canon ecclesiasticus non recepit „ (PL, XXXIII, 233).

Criteria vero libris interna ad quae recurrunt Protestantes, reiecto Ecclesiae magisterio, ut narrationes prophetiarum ac miraculorum, profunditas et sublimitas doctrinae, origo apostolica vel munus apostolicum auctoris, necnon externum argumentum a Calvino fictum de interno Spiritus Sancti testimonio, sunt insufficientia (1).

Quandoque S. Patres et Scriptores Ecclesiastici ut S. Irenaeus, Tertullianus, Clemens Alex., et alii arguunt ex profunditate et sublimitate doctrinae S. Scripturae atque ex eius miro consensu ad inspirationem ac canonicitatem eiusdem. Nullum tamen est dubium, hos scriptores tenuisse criterium certum fuisse Ecclesiae magisterium, ut ex supra allatis textibus eorum liquido constat. Ad hoc ergo internum criterium ideo recurrunt, quia disputando cum haereticis authoritas Ecclesiae parum vel nihil valebat.

Plures Protestantes recurrunt ad fidem Synagogae pro V. T. et ad fidem Ecclesiae primitivae pro N. T.; fides synagogae et fides Ecclesiae eadem est pro ipsis, neque excedit auctoritatem documenti *humani* scripto consignati.

Hoc tamen non sufficit. Iudicium enim circa canonicitatem alicuius libri, in eius inspiratione fundatur. Inspiratio autem est factum supernaturale et a solo Deo testificari potest : ergo argumentum *humanum* quodcumque insufficiens est ad inspirationem ac canonicitatem indicandam.

4. Canonicitas et authentia. — Sicut inspiratio indicat originem libri divinam, ita authentia indicat eius originem humanam. Hinc primum Evangelium est authenticum, quia revera est S. Matthaei cui tribuitur.

Canonicitas alicuius libri non fundatur in eius authentia, seu in eius origine humana, sed in inspiratione, id est, in divina eius origine.

(1) Cf. Opusculum nostrum : *De Exsistentia...*, § 4 (p. 10-12).

Hinc liber canonicus potest non esse authenticus, sive quia auctor eius ignoratur, e. gr. liber Iudicum; sive quia alii, quam illi a quo liber scriptus est, tribuitur, e. gr. Sapientia Salomonis.

Ecclesia, ergo, declarando aliquem librum esse canonicum, simul definit eius originem divinam in qua fundatur canonicitas; sed per hoc nihil dicit de eiusdem origine humana. Ex hoc ideo quod Sapientia Salomonis ab Ecclesia in canonem recipitur, non sequitur ut liber Sapientiae sit revera a Salomone conscriptus.

5. Canonicitas atque aetas compositionis ss. librorum. — Inter omnes quaestiones, quae in introductione speciali ad singulos libros tractari solent, quaestio de aetate compositionis nostra prae ceteris interest: non enim loqui possumus de receptione alicuius libri in canonem, nisi primo bene sciamus aetatem compositionis eius. Aetas ergo singulorum librorum est *terminus a quo* eorum in canonem receptionis.

Distinguenda est ergo aetas, qua liber aliquis compositus est, ab aetate qua in canonem est receptus. Hi duo actus enim sunt inter se bene distincti, plures enim sunt libri, qui nonnisi post longum tempus a sua compositione in canonem recepti sunt.

Aetas compositionis pro libris V. T. a Moyse ad Christi adventum protenditur; pro libris vero N. T. a Christo ad mortem ultimi apostoli, quo tempore clausa est revelatio.

6. Libri canonici et libri apocryphi. — *Apocryphus*, a graeca voce ἀπόκρυφος, etymologice significat *oculis subtractum, absconditum*... Libri apocryphi illi vocantur qui utpote non ispirati in canonem non sunt admissi, quamvis tamen ipsi ut inspirati se praebeant, et ab aliquibus Patribus, necnon in quibusdam Ecclesiis, ut inspirati agniti fuissent.

Catholici et Protestantes conveniunt in determinando libros apocryphos N. T., non vero illos V. T. — Protestantes nomine apocryphorum designant illos libros qui exstant in versione Alexandrina et Vulgata Latina sed desunt in Biblia Hebraica; quos tamen Catholici habent ut canonicos. Libri vero V. T., quos Catholici apo-

cryphos vocant, a Protestantibus *Pseudepigraphi*, i. e. falso inscripti nomine, vocantur.

7, Methodus sequenda. — Liber, ideo est canonicus quia est inspiratus et ut talis ab Ecclesia est agnitus et in canonem receptus. Ecclesia autem libros esse inspiratos ex S. Scriptura, Divinaque Traditione habet. Nullibi tamen in S. Scriptura habetur ss. librorum catalogus ; atque in Traditione non parvae inveniuntur difficultates, tum quia quidam libri canonici non semper et ab omnibus ut tales sunt accepti, tum e contra quia quidam libri apocryphi ut canonici a quibusdam habiti sunt. Nostrum est ergo demonstrare catalogum ss. librorum ab Ecclesia determinatum ac definitum revera constare, ex libris divinis seu inspiratis et e contra nullum librum apocryphum esse inspiratum, ac proinde merito e canone excludi.

Methodus ergo erit praecipue *historica*, quamvis doctrina Ecclesiae, ut norma saltem negativa, prae oculis habenda sit qua ducente ad nostrum propositum facilius pertingere possimus.

8. Varia argumenta eorumque valor. — Argumenta in ista quaestione, sicut in omnibus quaestionibus historicis, sunt vel *intrinseca* vel *extrinseca*.

Argumenta *intrinseca* illa sunt quae ex ipso libro desumuntur, ex. gr. ex testimonio auctoris, ex stilo ets.

Argumenta *extrinseca* vero non ex ipso libro, sed ex teste aliquo ipso libro extrinseco hauriuntur. Et ideo possunt esse vel *directa* seu *explicita* vel *indirecta* seu *implicita*.

Argumentum extrinsecum *directum* habetur quando aliquis citat librum explicite ; ut si diceret : Dicit S. Matthaeus, Marcus, vel : Dicitur in Epistula ad Hebraeos . . .

Argumentum extrinsecum *indirectum* seu *implicitum* habetur, quando verba alicuius libri inspirati citantur, sine ullo verbo introductorio. Nemo enim assumeret ista verba, quando praecipue intendit per ea aliquid probare, nisi quia credit revera librum, unde verba desumuntur, esse sacrum et canonicum. Huic argumento aequivalent citationes in libris liturgicis, vel figurae arte pictoria vel musiva in antiquis monumentis inventae.

Valor horum argumentorum valde differt. Ad rem Leo XIII in Encyc. " Providentissimus „ : " Perperam . . . et cum religionis damno inductum est artificium, nomine honestatum criticae sublimioris, quo ex solis *internis*, uti loquuntur, rationibus, cuiuspiam libri origo, integritas, auctoritas diudicata emergant. Contra perspicuum est, in quaestionibus rei historicae, cuiusmodi origo et conservatio librorum, *historiae testimonia* valere prae ceteris, eaque esse quam studiosissime et conquirenda et excutienda : illas vero rationes internas plerumque non esse tanti, ut in causam, nisi ad quamdam confirmationem, possint advocari „ (Ench. Bibl., n. 104).

Argumenta ergo externa, imprimis directa atque explicita prae ceteris valent, suntque decisiva quando sunt revera probativa : interna vero possunt advocari ad quamdam confirmationem : argumenta interna ergo non sunt probativa sed confirmativa veritatis aliunde statutae.

9. Divisio Quaestionis. — Historia formationis canonis suapte in duas partes dividitur : prior scilicet agit de formatione canonis V. T. ; altera de illa N. T. Ad perfectiorem autem notitiam canonis pertinet etiam cognitio aliqualis librorum deperditorum ac apocryphorum Utriusque Testamenti. Sunt ergo tria capita, quorum ulteriores subdivisiones suo loco dabuntur, scilicet :

I. Formatio canonis Veteris Testamenti.

II. Formatio canonis Novi Testamenti.

III. Libri deperditi ac libri apocryphi Utriusque Testamenti.

CAPUT I

FORMATIO CANONIS VETERIS TESTAMENTIS

10. Difficultas quaestionis eiusque partitio. — Maxima est difficultas in texenda historia formationis canonis V. T., deficientibus documentis. Cum enim quaestio sit historica, extrinseca argumenta prae ceteris valere debent: et tamen huiusmodi documenta usque ad saec. II ante Christum sunt nulla. Necesse est ergo ad interna confugere argumenta, quae non solum praecaria sunt sed etiam pauca et rara.

Praeter sacros libros praecipui Iudaeorum fontes sunt: Prologus libri Ecclesiastici, 4 Esdrae, Philo, Fl. Iosephus, et scripta rabbinica: inde autem a saec. I habemus litteraturam Christianam.

Claritatis gratia quaestionem in duos distribuimus articulos: in priore exponimus historiam canonis V. T. apud Iudaeos; in altero vero historiam eiusdem apud Christianos.

Art. I — HISTORIA CANONIS V. T. APUD IUDAEOS

11. Libri Protocanonici et Deuterocanonici. — In textu hebraico V. T. inveniuntur quidam libri, qui desunt in antiqua versione graeca Alexandrina. Textus Massoreticus, qui communiter habetur ut testis fidelis illius textus, quo antiqui hebraei utebantur, continet illos libros, qui secundum Pharisaeorum criteria, supra exposita (§ 3 α), necessarias conditiones habent, ut inter libros canonicos enumerari possint. Versio vero graeca Alexandrina continet septem alios libros, et quaedam fragmenta quae istis conditionibus carent. Propter hanc rationem quidam Patres atque antiqui Ecclesiastici Scriptores dubitarunt de eorum inspiratione et canonicitate, eosque hodie reiciunt ut apocryphos Protestantes. Catholici

vero eos habent ut canonicos, atque ob rationem mere historicam *deuterocanonicos* vocant, priores vero *protocanonicos*.

Huiusmodi libri sunt: *Tobias, Iudith, Sapientia, Ecclesiasticus*, *Baruch* cum *Epistula Ieremiae*, atque *uterque liber Machabaeorum*. Fragmenta vero deuterocanonica sunt:

α) Ex Daniele: III, 24-90: Oratio Azariae et Canticum Trium Puerorum,
XIII, Historia Susannae,
XIV, Historia Bel et Draconis.

β) Ex Esther (X, 4-XVI, 24):
Interpretatio somnii Mardochaei: Vg. X, 4-13; Gr. X post v. 3.
Somnium Mardochaei: Vg. XI, 2-XII, Gr. initio libri.
Edictum Aman: Vg. XIII, 1-7, Gr. III, post v. 13.
Oratio Mardochaei et Esther: Vg. XIII. 8-XIV, Gr. IV, post. v. 17.
Ingressus Esther ad Regem: Vg. XV, 4-19, Gr. V, initio.
Edictum regis: Vg, XVI, 1-24, Gr. VIII, post v. 12.

Nomina *protocanonici* (πρῶτος: κανονικός) et *deuterocanonici* (δεύτερος: κ.) seu primi et secundi canonis a Xisto Senensi O. P. (1520-1569) prius adhibita sunt (1): Catholicis enim omnes isti libri aeque sunt *canonici*, quamvis deuterocanonici seriori tempore in canonem recepti sint. Apud antiquos Scriptores Ecclesiasticos protocanonici ὁμολογούμενοι (unanimiter recepti); deuterocanonici ἀντιλεγόμενοι (disputati) vel ἀμφιβαλλόμενοι (dubii) vocabantur (2).

12. Divisio atque ordo librorum V. T. — Ordo librorum V. T. non est uniformis, sed varius est praecipue in versionibus. In textu Massoretico habetur divisio, communis apud Iudaeos, in triplicem collectionem, quae est alicuius momenti etiam pro historia formationis ipsius canonis. Haec autem est divisio:

(1) Xistus Senensis O. P., *Bibliotheca Sancta ex praecipuis catholicae Ecclesiae auctoribus collecta*, l. I, sect. I (Edit. Neap. 1742, Tom. I, p. 2).

(2) Cf. Eusebium, *Hist. Eccl.*, III, 25 (PG XX, 268); Cyrillum Hier., *Catech.*, IV, 33 (PG, XXXIII, 496).

I. *Torah* seu Lex: *Genesis*, *Exodus*, *Leviticus*, *Numeri* et *Deuteronomium*.

II. *Nebi'im* seu Prophetae, qui subdividuntur:

N. ri'sonim seu Prophetae priores, scilicet: libri *Iosue*, *Iudicum*, *Samuelis*, *Regum*;

N. 'aharonim seu Prophetae posteriores: scilicet *Isaias*, *Ieremias*, *Ezechiel* et duodecim prophetae minores, videlicet: *Osee*, *Ioel*, *Amos*, *Abdias*, *Ionas*, *Michaeas*, *Nahum*, *Habacuc*, *Sophonias*, *Haggaeus*, *Zacharias*, *Malachias*.

III. *Ketubim* seu Hagiographa: Libri *Psalmorum*, *Proverbiorum*, *Iob*, *Cantici*, *Ruth*, *Lamentationum*, *Ecclesiastis*, *Esther*, *Danielis*, *Esdrae* et *Nehemiae*, et *Paralipomenon*.

Haec divisio in tres collectiones primo invenitur in Prologo libri Ecclesiastici (c. a. 132 a. Chr,). S. Lucas loquitur de lege Moysi, de Prophetis et de Psalmis (XXIV, 44). Eadem divisio habetur apud Fl. Iosephum (*C. App.* I, 8) et in opere Philoni olim adscripto: *De Vita Contempl.* § 3.

Numerus ss. librorum varius est apud Iudaeos, quia varii sunt apud eos modi computandi: In 4 Esd. c. XIV, in Talmude Babylonensi (*Baba Batra*, 14^b-15^a) et apud S. Hieronymum (*Praef. in Dan.*) habentur viginti quattuor; apud Fl. Iosephum (*l. c.*) et S. Hieronymum (*Prol. Gal.*) sunt viginti duo. Haec tamen diversitas provenit a vario modo dividendi libros, numerus enim vigintiduorum videtur intentus, ut tot sint libri sacri, quot litterae alphabeti hebraici (1).

Dispositio librorum supra allata, illa est quae in editionibus

(1) Ita S. Hieronymus in *Prol. Galeato*: "Quomodo igitur viginti duo elementa sunt, per quae scribimus hebraice omne quod loquimur, et eorum initiis vox humana comprehenditur: ita viginti duo volumina supputantur, quibus quasi litteris et exordiis, in Dei doctrina, tenera adhuc et lactens viri iusti eruitur infantia".

impressis invenitur : in manuscriptis tamen adsunt aliquae transpositiones inter libros II.ae et IIIae Collectionis (1).

In versione graeca Alexandrina, praeter libros protocanonicos habentur etiam libri deuterocanonici. Ordo tamen librorum in variis manuscriptis est varius. Haec varietas invenitur etiam in catalogis librorum a Patribus et antiquis Conciliis datis (2). Ratio huius varietatis desumenda est ex variis conatibus ad disponendos libros secundum contentum eorum, vel secundum characterem litterarium, vel secundum authentiam (3).

In biblia latina eadem invenitur dispositionum varietas. Sic Berger ducentas duodecim numeravit dispositiones varias, pluresque alias dicit inveniri posse (4).

Inde a saec. XIII exegetae, logicam divisionem sequentes, libros V. T. diviserunt in tres categorias :

I. Libri *historici :* Pentateuchus, Iosue, Iudicum, Ruth, quattuor Regum, duo Paralipomenon, duo Esdrae, Tobiae, Iudith, Esther, duo Machabaeorum.

II. Libri *didactici :* Iob, Psalmorum, Proverbiorum, Ecclesiastis, Cantici, Sapientiae, Ecclesiastici.

III. Libri *prophetici :* Isaias, Ieremias, Lamentationes, Baruch, Ezechiel, Daniel et duodecim prophetae minores.

13. Duplex Iudaeorum canon. — Ex vario contentu Bibliae hebraicae et celeberrimae versionis Alexandrinae gravis oritur quaestio, scilicet : fuitne unus Iudaeorum canon, an vero duo : Palaestinensis pro Iudaeis Palaestinae atque Alexandrinus pro Iudaeis Diasporae ?

(1) Hae transpositiones schematice proponuntur in opere * Ryle, *Canon of the O. T.*, London 1892, post p. 280. Hoc schema invenitur etiam apud * Swete H. B., *An introduction to the O. T. in Greek*, Cambridge 1902, p. 200.

(2) Schemata harum variarum dispositionum ss. librorum habes apud * Swete, *op. cit.*, pp, 201-214.

(3) * Swete, *op. cit.*, p. 218.

(4) * Berger S., *Histoire de la Vulgate durant les premiers siècles du moyen âge,* Paris 1893, p. 306

Plures ad explicandam hanc differentiam, in re tanti momenti dantur sententiae, quae commode ad tres reduci possunt.

α) Prima sententia admittit duos canones, quorum priore utebantur Iudaei Palaestinae, qui ab Esdra clausus nullum unquam librum deuterocanonicum admisit: alter, quo Iudaei Alexandriae utebantur, praeter protocanonicos, admisit et deuterocanonicos (1).

β) Secunda sententia, praecedenti opposita, admittit omnes libros sive protocanonicos sive deuterocanonicos a Iudaeis Palaestinensibus primo ut sacros habitos fuisse, ac nonnisi post tempus deuterocanonicos, qui tamen in versione Alexandrina servati sunt, e canone Palaestinensi sepositos fuisse (2).

γ) Tertia sententia, inter praecedentes media, admittit aliquos libros deuterocanonicos apud Palaestinenses fuisse acceptos; alios tamen, illos praecipue qui non multum ante eram christianam ortum habuerunt, a Christo atque Apostolis in canonem receptos esse, et non a synagoga (3).

Quid de ista quaestione dicendum sit, ex his quae dicturi sumus circa canonicitatem librorum deuterocanonicorum, melius videbitur.

14. Canonicitas librorum deuterocanonicorum — Plura argumenta afferri possunt quibus suadetur canonicitas librorum deuterocanonicorum:

α) Canonicitas librorum deuterocanonicorum primo evincitur ex usu eorumdem librorum apud ipsos Iudaeos Palaestinenses.

1° *Baruch.* Liber Baruch videtur iam tempore Danielis unitus fuisse libro Ieremiae, cuius scriba ipse erat. Daniel enim c. IX, 2 explicit narrat se legisse librum *Ieremiae,* et in sequentibus versi-

(1) Ita Mangenot, in d'Alès, *Dictionnaire Apologétique de la Foi Cathol., s. v.* 'Canon', I, 440 s. P. Höpfl H., O. S. B., *op. cit.,* 44-46.

(2) Sic Vigouroux, *Dictionnaire de la Bible,* s. v. 'Canon' II, 142; Van Kasteren, *op. cit.,* 411, Cornely-Hagen, *Introd. Compendium* 7 (1911) pag. 18. Chauvin, *Leçons d'Introd. Générale,* Paris 1898, 94-100.

(3) P. Ruwet J. *De Canone,* in *Institutionibus Biblicis,* Romae 1927, p. 21.

culis saepe pendet a libro *Baruch*. Compara Dan. IX, 7 cum Bar. I, 15 ; Dan. IX, 5 cum Bar. I, 17 ; Dan. IX, 15 cum Bar. II, 11.

Plures auctores (1) defendunt eumdem interpretem librum Ieremiae et Baruch in graecam linguam transtulisse.

Medio saec. I a. Chr. utitur libro *Baruch* auctor Ps. XI Salomonis, compara Bar. V, 4 ss. (2).

In Ecclesia primitiva *Ieremia, Baruch* atque *Epistula Ieremiae* considerantur ut unus liber, sicut historia Susannae, et historia destructionis Bel et Draconis cum libro Danielis (3). Hinc saepe *Baruch* citatur sub nomine Ieremiae (4). *Epistula Ieremiae* in pluribus manuscriptis graecis, sicut etiam in Vulgata latina, unde in modernarum linguarum versiones transivit, intime unitur libro *Baruch*. Ad hanc *Epistulam* iam alludit auctor 2 Mach. (c. II, 2).

Origenes utitur textu hebraico libri *Baruch* in suis *Hexaplis*, quod probatur ex signis diacriticis *Codicis Chisiani* et ex notis marginalibus manuscripti *Syri hexaplaris* (5).

In *Constitutionibus Apostolicis*, c. XX (PG, I, 896), initio saec. IV, legitur : " Nunc quoque decima mensis Goripiaei die, Iu-

(1) Ita * Ewald H., *Geschichte des Volkes Israel* 3, Göttingen 1864, IV, 268, n. 4. Knabenbauer I, *Comm. in Dan., Lam. et Baruch*, Parisiis 1891, p. 444 s. * Nestle, apud * Swete, *op. cit.*, p. 276, n. 1.

Contrariam sententiam defendunt illi omnes qui unitatem huius libri negant eiusque alteram partem compositam credunt post excidium civitatis sanctae. cf. * Schürer E., *Geschichte des Iüdischen Volkes* 4, Leipzig 1909, § 33, II, 5, (III, pp. 460-467) et auctores ibi citatos.

(2) Illi qui retardant compositionem alterius partis *Baruch* usque post Hierosolymorum destructionem, defendunt dependentiam *Baruch* a Psalmo XI Salomonis. Ita * Schürer, *loc. cit.* ; * Ryle et James, *Psalms of the Pharisees*, in Praef. et praecipue, p. LXXVII, * Swete, *op. cit.*, p. 275.

(3) * Swete, *op. cit.*, p. 274.

(4) Ita Irenaeus, *Adv. Haer.*, V, 35 (PG, VII, 1219). Tertullianus, *Scorpiace*, 8. Clemens Alex., *Paedagogus*, I, 10. Cyprianus, *Testimon.* II, 6 (PL, IV, 701). Cf. etiam Athanasium, *Epist. fest.* 39 (PG, XXVI, 1178). Cyrillus Hier., *Cateche* IV, 33 (PG, XXXIII, 495).

(5) Ed. a Ceriani, *Monumenta sacra et profana*... Mediolani 1861.

daei congregati, Lamentationes Ieremiae legunt... et *Baruch*... „ (1). Mensis Goripiaeus est certe mensis *Ab* in cuius decima die Iudaei commemorant destructionem sanctae Civitatis.

Quando ergo S. Epiphanius, ***De mensuris et ponderibus***, 5 (PG, XLIII, 245) scribit: Οὐ κεῖνται αἱ ἐπιστολαὶ [Βαρούχ καὶ Ἱερεμίου] παρ' Ἑβραίοις — et S. Hieronymus: " Libellum autem Baruch, qui vulgo editioni Septuaginta copulatur nec habetur apud Hebraeos „ (*Praef. comm. in Jer.*) et: " Librum autem Baruch notarii eius, qui apud Hebraeos nec legitur nec habetur „ (*Praef. in vers. Jer.*), intellegi debet in hoc sensu, quod scilicet liber Baruch non habebatur in canone Iudaeorum Palaestinensium. Tempore Origenis tamen liber Baruch cum libro Ieremiae unitus in canone Palaestinensi recensebatur (*in Ps.* I, PG, XII, 1084).

2° *Tobias*. Huius libri plures in variis linguis exstant versiones; habentur enim tres in lingua graeca, duae in latina, una in syriaca et in aramaica, atque in hebraica duae. Quoad textum originalem non conveniunt auctores: quidam (2) volunt textum originalem fuisse hebraicum, qui deperditus est; alii (4) vero aramaicum; alii (3) tandem graecum.

(1) In textu Syriaco *Constitutionum Apostolicarum* deest liber *Baruch*, cf. Bunsen, *Analecta Ante-Nicaena*, II, 187. * Smith, *A Dict. of ihe Bible* 2, London 1893, I, 359.

(2) Ita communiter inter antiquos criticos et plures inter modernos ut * Grätz, *Das Buch Tobias oder Tobit, seine Ursprache, seine Abfassungszeit und Tendenz*, in *Monatsschr. für Geschichte und Wissenschaft des Judenthums*, 1879, p. 385-387. * Grimm W., *Ueber einige das Buch Tobit betreffende Fragen*, in *Zeitschr. für wissenschaftliche Theol.* (XXIV) 1881, p. 48-51. * Levi I., *La Langue Originale du livre de Tobie*, in *Revue des Études Juives*, XLIV (1902), p. 288-291. Vetter P., *Das Buch Tobias und die Achikar-Sage*, in *Theol. Quartalschr.*, LXXXVI (1904), p. 526-530.

(3) * Fuller, in Wace, *Apocrypha*, London 1888, I, 152-155; 164-171. * Marshall J. T., in * Hastings, *Dictionary of the Bible*, Edinburgh 1902, IV p. 788.

(4) Fritzsche, *Exeget. Handbuch zu den Apoteryphen, II. Die Bücher Tobi und Judith*, Leipzig 1853, p. 8., pluresque alii, ut Schürer, in prioribus ed. sui *Geschicte*... Nöldeke etc. Cf. * Grimm, *loc. cit.*, p. 48, n. 24.

S. Hieronymus cognovit textum aramaicum, scribit enim : " Exigitis ut librum *chaldaeo* sermone conscriptum ad latinum stylum tradam... feci satis desiderio vestro... et quia vicina est Chadaeorum lingua sermoni hebraico, utrisque linguae peritissimum loquacem reperiens unius diei laborem arripui et quidquid illi mihi hebraicis verbis expressit, hoc ego accito notario sermonibus latinis exposui „ (*Praef. in Tobiam*). Neque tamen hic textus chaldaicus seu aramaicus ad nos usque pervenit.

Neubauer (1) in quodam antiquo *midras* textum aramaicum libri Tobiae detexit. Hic tamen textus neque originalis est, neque idem est cum illo de quo loquitur S. Hieronymus, quamvis non raro conveniant, e. gr. in narratione in 1ª pers. (c. I-III, 6) et in 3ª pers. in altera libri parte. Secundum Dalman hic textus non est antiquior saec. VII et forsitan est versio ex ipsa Latina versione (2).

Liber Tobiae pluries, in linguam hebraicam translatus est (3).

Ex praesentia libri Tobiae in *midras*, necnon ex eius versione in lingua hebraica atque aramaica, iam tempore S. Hieronymi, concludere licet Iudaeos etiam palaestinenses hoc libro usos esse.

3° *Iudith.* Omnes conveniunt circa linguam textus originalis libri *Iudith*, quae scilicet fuit semitica, i. e. hebraica aut aramaica. Hic tamen textus ad nos minime pervenit. Plures *midrasim* huius libri hodie habentur (4). Ipse S. Hieronymus textu aramaico usus est. Dicit enim : " Apud Hebraeos liber Iudith inter apocrypha (al. hagiographa) legitur... Chaldaeo tamen sermone conscriptus inter historias computatur. Sed quia hunc librum Synodus Nicaena in numero sanctarum Scripturarum legitur computasse, acquievi postulationi vestrae, immo exactioni, et sepositis occupationibus, quibus vehementer arctabar, huic unam lucubratiunculam dedi, magis sensum e

(1) * Neubauer A., *The book of Tobit. A Chaldee text from a unique Ms. in the Bodleian Library with other rabbinical texts*, Oxford 1878.

(2) * Dalman G., *Grammatik des jüdisch-palästinischen Aramäisch* ², Leipzig 1905, § 6, n. 6, a (p. 35-37).

(3) Cf. * Neubauer, *op. cit.*, IX ss. * Schürer, *op. cit.*, § 32, VI, 2 (III, p. 245 s.).

(4) Cf. Meyer C., S. I., *Zur Entstehungsgeschichte des Buches Judith*, in *Biblica*, III (1922), p. 194 s., n. 5.

sensu quam e verbo verbum transferens. Multorum codicum varietatem vitiosissimam amputavi : sola ea, quae intelligentia integra in verbis chaldaeis invenire potui, latinis expressi „ (*Praef. in librum Iudith*).

Habentur praeterea plures versiones hebraicae huius libri (1).

Ex his ergo concludere licet Iudaeos, sicut libro Tobiae ita et libro Iudith, usos esse (2).

4° *Sapientia.* Textus originalis libri *Sapientiae* graecus fuisse communiter admittitur, non tamen propterea credendus est a Iudaeis, forsitan etiam Palaestinensibus, in usu non fuisse. S. Paulus frequentius aliis N. T. scriptoribus eo est usus, et plurium Iudaeorum scriptorum testimonia citat Raymundus Martinus (3).

5° *Ecclesiasticus.* Textus originalis libri *Ecclesiastici* est hebraicus (4), quod faciliter probatur tum ex prologo versioni graecae ab auctoris nepote praemisso, tum ex testimonio S. Hieronymi : " Fertur et Iesu filii Sirach liber et alius qui Sapientia Salomonis inscribitur. Quorum priorem *hebraicum* reperi, non *Ecclesiasticum* ut apud Latinos, sed *parabolas (mesalim)* praenotatum „ (*Praef. in librum Salomonis)* ; tum tandem ex fragmentis hebraicis huius libri recenter inventis (5).

Hic liber summo in onore fuit apud Iudaeos et rabbini verba ex eo lingua hebraica in scriptis suis saepe allegant, et saltem a quibusdam citatur sicut liber inspiratus (6).

(1) Cf. * Gaster M., *An unknown Hebrew version of the History of Judith*, in *Proceedings of the Soc. of bibl. Archeology, XVI* (1893-4), 156-163.

(2) Cf. Raymundi Martini O. P., *Pugio Fidei adversus Mauros et Iudaeos cum observationibus* Ios. de Voisin. Ed. * Carpzovii, Lipsiae 1687, p. 127 s.

(3) Raymundus Martinus O. P., *op. cit.*, pp. 126-128.

(4) Contrariam sententiam a Margoliouth G., *The origin of the original Hebrew of Ecclesiasticus*, London 1899, communiter reicitur.

(5) Cf. Minocchi S., *La découverte du texte hebreu original de l'Ecclésiastique* in *Compte rendu du IV^e Congrès Scientifique international des Catholiques*, Fribourg 1898, 283-296.

(6) *Berahot*, VII ; *Hagiga*, 2 a ; *Sanhedrin*, 10 a ; *Nidda*, 16 b ; *Baba Kamma* 92 b, *Tanhuma* 13 a, 69 a. Cf. R. Mortinum, O. P., *op. cit.*, p. 125 s. Zunz,

6° *1 Machabaeorum.* " Machabaeorum primum librum ***hebraicum*** reperi „ dicit S. Hieronymus (*Prol. Galeatus*) et Origines dat titulum evidenter semiticum : τὰ Μακκαβαικὰ ἅπερ ἐπιγέγραπται Σαρβὴθ Σαβαναιέλ (1). Textus tamen hebraicus originalis non amplius habetur (2). Plures tamen cognoscuntur huius libri textus aramaici (3).

Fl. Iosephus, isto libro usus est (cf. *Ant.*, XII, 6, 1 ss).

7° *2 Machabaeorum.* " Secundus graecus est, dicit S. Hieronymus, quod ex ipsa quoque phrasi probari potest „ *(Prol. Galeatus).*

Philo isto libro usus est *(Quod omnis probus liber.* § 13), sicut etiam auctor *Epistulae ad Hebraeos* (II, 35, vid. 2 Mach. VI, 18, ss., VII, 1 ss.). Hic liber in honore fuit apud Iudaeos (4), " narratio autem de Eleazari et septem fratrum martyrio (2 Mach. VI) hodie adhuc a Iudaeis celebratur „ (5).

Sed usus librorum Machabaeorum apud Iudaeos educi praecipue debet ex eo quod Iudaei etiam hodierni celebrant festum Dedicationis Templi : *Hanuka*, de quo agunt 1 Mach. IV ; 2 Mach. II, X ; et in Talmude Babylonis (*Joma*, 29 a) dicitur : " *Hanuka* ut scriberetur data est, „ quod secundum P. Van Kasteren (6) probabiliter refertur

---

Die gottesdienstlichen Vorträge der Juden [2], Frankfurt 1892, p. 106 ss. Schechter S., *The Quotations from Ecclesiasticus in rabbinic Literature*, in *Jewish Quarterly Review*, III (1891), pp. 682-706.

(1) Apud Eusebium, *Hist. Eccl.*, VI, 25 (PG, XX, 582). Circa varias huius tituli explicationes, cf. * Ryle H. E., *The canon of the O. T.*, London 1892, p. 185. * Dalman, *op. cit.*, § 3, 2 (p. 7).

(2) Textum hebraicum edidit * Schweizer A., *Untersuchungen über die Reste eines hebräischen Textes vom I Makkabäerbuch*, Berlin 1901. Sed tamen hic textus non est originalis, cf. * Nöldeke Th., in *Lit. Centralblatt*, d. 30 m. Martii 1901. Vetter P., *Ein hebräischer Text zum ersten Makkabäerbuche*, in *Theol. Quartalschr.*, *LXXXIII* (1901), 600-605. * Levi I., *L'Original hébreu du 1er livre des Macchabées*, in *Revue des Études Juives XLIII* (1901), 215-221.

(3) Pro his textibus cf. * Dalman, *op. cit.*, § 3, 2 (p. 7).

(4) R. Martinus, *op. cit.*, p. 128.

(5) Cornely, *loc. cit.*, p. 61.

(6) Van Kasteren, *loc. cit.*, p. 579 s.

ad 1 Mach., qui ergo dicitur esse sufficienter inspiratus, ut possit in canonem liturgicum recipi.

Non sine fundamento ergo est assertio eorum qui dicunt libros Machabaeorum a Pharisaeis e canone exclusos fuisse propter eorum in Hasmonaeos odium (1).

8° *Partes deuterocanonicae libri Danielis.* Testus originalis harum partium fuit hebraicus vel aramaicuis (2), qui tamen ad nos non pervenit.

α) *Oratio Azariae et Hymnus trium puerorum* (Vg. III, 24-90) videntur esse partes integrales textus protocanonici, quia inter vers. 23 et 91 supponitur lacuna. Legitur enim in v. 91 s. Nabuchodonosor dixisse: " Nonne tres viros misimus in medium ignis compeditos?... Ecce ego video quatuor viros, solutos... „ Quomodo autem tres viri in fornacem missi fiunt quattuor habetur ex v. 49: " Angelus autem Domini descendit cum Azaria, et sociis eius in fornacem... „

β) *Historia Susannae* (Vg. XIII). Haec historia primo a Daniele separata fuisse videtur. Circa eius usum apud Iudaeos vix esse posset dubium cum non solum in LXX sed etiam in versionibus Aquilae, Symmachi et Theodotionis habebatur.

γ) *Historia destructionis Bel et Draconis* (Vg. XIV). Textus aramaicus huius historiae edidit Gaster (3).

9° *Partes deuterocanonicae libri Esther.* Ordo harum partium non est idem in LXX ac in *Vulgata* latina. Hic enim in fine libri

(1) Van Kasteren, *loc. cit.*, p. 591 s. — Cf. P. Höpfl H., O. S. B., *Das Chanukafest*, in *Biblica* III (1922), p. 171-173,

(2) Iulius Africanus primus fuit qui defenderat textum originalem graecum pro historia Susannae, quem hodie plures Acatholici sequuntur. Origenes Iulium confutavit atque hodie Catholici et plures Acatholici textum originalem semiticum defendunt. Cf. * Ball, *Speaker's Comm., Apocrypha,* II, p. 330 s. * Marskall in * Hastings, *Dict. of the Bible*, IV, 632. - Textus aramaicus *Cantici trium puerorum* edidit * Gaster M., *The unknown Aramaic original of Theodotion's Additions to the Book of Daniel,* in *Proceedings of the soc. of bibl. Arch., XVI* (1893-4) 280-290; 312-317; XVII (1895) 75-94.

(3) * Gaster, *op. cit.*, cf. * Ryle in * Hastings, *Dict. of the Bibte*, I, 261.

Esther protocanonici habentur, illic vero in contextu suo historico. Ordo *Vulgatae* S. Hieronymo debetur, qui partes deuterocanonicas a textu hebraico absentes simul collegit ac in finem libri posuit. Ordo LXX est ergo praeferendus (1).

Catholici admittunt communiter textum originalem harum partium hebraicum fuisse (2), alii vero aramaicum (3).

Iudaei libro Esther usi sunt, Sic Fl. Iosephus quasdam partes ad verbum refert in suis Antiquitatibus Iudaicis (XI, 6, 7 ss.). Praeterea celebre est apud Iudaeos festum *Purim*, quo *Megilla* Esther legitur in Synagogis. Merito ergo concludit P. Cornely : " Fragmenta deuterocanonica libri Esther olim in palaestinensi adfuisse canone, pro certo asserere vix dubitamus „ (4).

β) Aliud argumentum desumitur ex versione Alexandrina, quae praeter libros protocanonicos etiam *libros deuterocanonicos* continebat, et quidem non in appendice sed aliis intermixtos. Haec autem versio ab omnibus Iudaeis, Palaetinensibus non exceptis, recepta erat. Ex quo facile deducitur conclusio Iudaeos acceptasse tum libros protocanonicos tum deuterocanonicos.

γ) Omnes libri, deuterocanonici, exceptis forsitan *Sapientia* et *2 Mach.*, sunt originis palaestinensis vel babylonensis. Communitas ergo Alexandrina eos recepit a communitate principe hierosolymitana (*Cf. Esth.* XI, 1 (Vg.) et *2 Mach.* II, 15), a qua etiam permissionem accepit interpretandi ss. libros in graecam linguam.

δ) Scriptores N. T. fere exclusive utuntur versione Alexandrina, et quamvis libros deuterocanonicos non citent, sicut neque *omnes* protocanonicos, plures tamen sunt allusiones ad illos libros (5).

(1) Cf. * Swete, *Introduction...* p. 257.

(2) Textum aramaicum, paraphrasim trxtus originalis, edidit De Rossi I. B., *Specimen varr. lectionum sacri textus et Chaldaica Estheris additamenta cum latina versione et notis*, Romae 1872, Tubingae 1783.

(3) Ita * Howorth H. H., *The prayer of Manasses and the book of Esther*, in *Proceeding of the Soc. of Bibl. Arch., XXXI* (1908-9), 156-168.

(4) Cornely, *op. cit.*, p. 60.

(5) Cf. P. Pope H., O. P., *The catholic student's 'Aids' to the Bible*, London 1913, p. 53 s. - Cfr. infra § 24.

Ceteroquin ex solo usu deduci potest Apostolos versionem Alexandrinam approbasse. Versionem hanc tempore Apostolorum omnes deuterocanonicos comprehendisse non videtur esse dubium.

ε) Si quid dubii in hac perplexa quaestione remanet, ex usu Ecclesiae eiusque deuterocanonicorum acceptione omnino removeri debet. Ecclesia enim, quae ut supra (§ 3 β) diximus, est criterium canonicitatis, nonobstante dubio quorumdam Patrum, pluries definivit libros deuterocanonicos esse a Deo inspiratos et in canonem recipiendos. Sed de hoc longius infra (Art. II) erit quaestio, ubi de canone V. T. apud Christianos agemus.

Concludendum est ergo libros deuterocanonicos esse inspiratos: immo ut tales fuisse etiam apud Iudaeos, et quidem non solum in *Diaspora* sed etiam in Palaestina, secus enim nequit explicari eorum introductio in versionem Alexandrinam.

15. Origo canonis Veteris Testamenti. — Discussa quaestione circa libros, qui in canone V. T. continentur, alia solvenda est quaestio non minoris momenti, videlicet: quomodo efformatus sit canon ipse.

Quidam Patres, sequentes 4 Esd. XIV, 21-47, quem nonnulli ut inspiratum habuerunt, docuerunt Esdram divinitus inspiratum omnes V. T. libros, qui in destructione Templi civitatisque Sanctae atque in populi in exsilium transmigratione, perierant, e memoria iterum dictasse.

Ita S. Irenaeus, *Adv. Haer.*, III, 21, 2 (PG, VII, 948 s.), Clemens Alex., *Stromata*, I, 22 (PG, VIII, 894), Tertullianus, *De cultu feminarum* I, 3 (PL, I, 1422), S. Hier., *Adv. Helv.*, 7 (PL, XXIII, 199), S. Basilius, *Ep. Ad, Chilonem* 5, (PG. XXXII, 357), S. Io. Chrysos., *Hom.* VIII *ad Hebr.*, 4 (PG, LXIII, 74), Origenes, *Selecta in Psalmos* (PG, II, 1075 s.), Ps. Athanas., *Synopsis* 20 (PG XXVIII, 331).

Hodie auctores conveniunt hunc librum esse apocryphum, valoremque historicum ei negant, scatet enim fabulis.

Plures alii Patres et theologi reiecta fabula libri 4 Esdrae, traditionem iudaicam de Esdra auctore canonis V. T secuti sunt,

nullus tamen usque ad saec. XVI videtur hanc quaestionem critico examini submisisse.

Elias Levita († 1549), doctus rabbinus, in suo opere *Masoreth Ham-Masoreth*, a. 1538 edito nova forma antiquam thesim proposuit, sociavit scilicet Esdrae viros magnae synagogae, qui textum hebraicum castigaverunt et canonem V. T. definierunt ac clauserunt. Hanc theoriam acceptavit et defendit Io. Buxtorf (pater), in opere *Tiberias sive Commentarius Masorethicus*, Basileae a. 1620 edito, et postea communis facta est inter Protestantes, qui canonem hebraicum solos protocanonicos libros complectentem admittunt, reiectis ut apocryphis libris deuterocanonicis. Thesis haec eo magis Protestantibus arridebat, quo ipsi reiecta traditione, altero divinae revelationis fonte, soli litterae S. Scripturae inhaerebant, atque eo progressi sunt, ut dicerent omnia in Textu Massoretico etiam signa vocalia et accentus esse inspirata! Sic in Formula consensus ecclesiarum Helveticarum (1675) habentur canones sequentes: " Hebraicus Veteris Textamenti codex quem ex traditione ecclesiae Iudaicae, cui olim *oracula Dei commissa sunt*, accepimus hodieque retinemus, tum quoad consonas tum quoad vocalia, sive puncta ipsa sive punctorum saltem potestatem, et tum quoad res tum quoad verba θεόπνευστος... ad cuius normam... universae quae extant versiones.... exigendae et, sicubi deflectunt, revocandae sunt. Eorum proinde sententiam probare neutiquam possumus, qui lectionem quam Hebraicus codex exhibet humano tantum arbitrio constitutam esse definiunt, quique lectionem hebraicam quam minus commodam iudicant configere eamque ex LXX. seniorum aliorumque versionibus graecis ...emendare religioni neutiquam dicunt. „ [1].

Tam absurda vero sententia longius sustineri nequit hinc est quod ab ipsorum Protestantium castris contra Buxtorfium insurrexit Ludovicus Cappellus († 1658) qui in opere: *Arcanum punctuationis revelatum*, Amsteldomi a. 1624 edito, atque e catholicorum

[1] * Niemeyer, *Collectio Confessionum*, Liepzig 1840, p. 731. Apud * Swete, *op. cit.*, p. 436 s.

castris Ioannis Morinus, oratorianus († 1659), qui in suis " *Exercitationibus Ecclesiasticis in utrumque Samaritanorum Pentateuchum* „ Parisiis a. 1631, et in " *Exercitationibus de hebraici graecique textus sinceritate* „ Parisiis a. 1633 editis, Protestantium doctrinam diudicarunt.

Ioa. Buxtorf (filius) thesim patris sui conatus est defendere duobus operibus: *De punctorum originem*, a. 1648; et *Anticritica*, a. 1653 editis.

Thesis de Esdra auctore Canonis V. T. etiam inter Catholicos plures habuit fautores, quidam tamen duplici modo eam emendarunt: primo, ex parte auctoris, reiciendo magnam Synagogam: secundo, ex parte operis admittendo canonem ita fuisse definitum, ut non excluderet possibilitatem inserendi in canonem alios libros inspiratos, qui post tempus Esdrae ortum habuerunt.

De facto enim Magna synagoga communiter hodie reicitur. Qua reiecta duplex habetur sententia circa formationem canonis V. T. ab Esdra factam:

α) Prior illa est quae Esdrae tribuit formationem canonis V. T., ita ut post ipsum nullus alius liber in canonem ss. librorum receptus sit. Haec prima sententia probatur ex libro Esdrae (canonico), 2 Mach. II, 13, Fl. Iosepho, 4 Esd., Talmude. Ita antiquiores Protestantes (1).

β) Altera sententia admittit pariter definitionem Canonis V. T. ab Esdram factam esse, quae pars est positiva sententiae praecedentis; sed partem negativam, excludentem alios libros sacros post Esdram conscriptos, non admittit, eiusque argumenta sunt, praeter illa iam memorata in sententia praecedenti, auctoritas Patrum, qui Esdrae tribuunt canonis V. T. definitionem. Ita plures catholici (2).

(1) Ita praeter duos * Buxtorf iam citati, * Hottinger, *Thes. Philol.*, I, 2. 1. - * Carpzov, *Introd. in libros canonicos V. T. omnes*, Leipzig 1771, I, 2 § 1 et alii.

(2) Ita Frida H., O. S. B., *Institutiones Hermeneuticae*, Pragae s. a., p. 15. Lamy, *Introd. in S. Script.* 6, Mechliniae 1901, I, 46 s. - Cornely, *op. cit.*, p. 43. Vigouroux, *Dict. de la Bible*, s. v. 'Canon' II, 139. - Cornely-Hagen, *op. cit.*, p. 15.

Quid de ista sententia censendum sit, post expositionem documentorum in quibus fundatur, dicetur.

16. Expenduntur antiqua documenta circa Esdrinam Canonis formationem.

α) Omnibus nota est magna Esdrae activitas in instauranda Lege apud Iudaeos ab exsilio redeuntes (cf. Esd. III, 10-12 ; 2 Esd. VIII); multaque de eo dicuntur in scriptis iudaicis. Ergo opinio de Esdra formante canone non caret fundamento.

β) In epistula Iudaeorum Palaestinensium ad Iudaeos Alexandrinos, scripta a. 125, quae libro 2 Mach. praemittitur, haec leguntur, II, 13 : " Inferebantur autem in descriptionibus et commentariis Nehemiae haec eadem : et ut construens bibliothecam congregavit *libros regum et prophetarum* ἐπισυνήγαγεν τὰ περὶ βασιλέων καὶ προφητῶν βιβλία, et David et epistulas regum de donariis „. Quem textum ita exponit cl. Cornely : " Libros autem, quos Nehemias collegit, ita describunt [Iudaei], ut integrum iudaicum canonem secundum tres eius classes satis aperte definiant. Nam ἐπισυνήγαγεν (i. e. *ad* Pentateuchum, qui in restaurato templo statim erat depositus, adiecit et cum eo coniunxit) τὰ περὶ τῶν βασιλέων (sc. Prophetas priores quos a quatuor libris Regum, utpote a potiori parte, denominatione desumpta *libros de regibus* appellat) καὶ τῶν προφητῶν (et Prophetas posteriores) καὶ τὰ τοῦ Δαυίδ (i. e. Psalmos) καὶ ἐπιστολὰς βασιλέων περὶ ἀναθημάτων. Epistolae regum (Persarum) de donariis (vel ut legit *Vulg.* : regum et de donariis) nec commemorantur nec leguntur nisi in libris Esdrae : quare iure coniicimus hosce nomine illo designari, ita ut, sicut secunda canonis pars, etiam tertia pro duplici, quod tractat, argumento duplici titulo sit ornata. Nehemiae ergo aetate libros protocanonicos collectos et tamquam sacros in templi archivio depositos esse, epistola 2 Mach. libro praemissa nos docet „ (1).

γ) Flavius Iosephus (*Contra Appionem* I, 8) haec habet : " Apud nos nequaquam innumerabilis est librorum multitudo dissentientium et inter se pugnantium [sicut apud Aegyptios], sed viginti

(1) Cornely, *op. cit.*, pag. 52.

duo dumtaxat libri totius praeteriti temporis historiam complectentes, qui merito creduntur divini. Ex his quinque quidem sunt Moysis, qui et leges continent et seriem rerum gestarum a condito genere humano usque ad ipsius mortem; atque hoc spatium temporis trium fere annorum millia comprehendit. A Moysis autem morte ad imperium usque Artaxerxis, qui post Xerxem regnavit apud Persas, prophetae, qui Moysi successerunt, res sua aetate gestas tredecim libris complexi sunt; quatuor vero reliqui hymnos in Dei laudem et praecepta vitae exhibent utilissima. Ceterum ab imperio Artaxerxis ad nostram usque memoriam sunt quidem singula litteris mandata, sed non eiusdem auctoritatis ac priores habentur, quia non adfuit indubitata prophetarum successio... „

Hoc est primum testimonium, quod sub fine saec. I dat elenchum omnium librorum V. T. secundum textum hebraicum, cognoscit tamen et alios libros, qui post Artaxerxem, Esdrae coaevum, compositi sunt, sed hi libri (deuterocanonici) *non eiusdem auctoritatis ac priores habentur.*

Libri protocanonici secundum Iosephum sunt 22, scilicet Pentateuchus (quinque Moysis), tredecim prophetarum: 1 Iosue, 2 Iudicum et Ruth, 3 Samuel, 4 Regum, 5 Paralipomenon, 6 Esdras et Nehemias, 7 Iob, 8 Esther, 9 Isaias, 10 Ieremias et Lamentationes, 11 Ezechiel, 12 Daniel, 13 duodecim Prophetae minores. Quattuor vero qui *in Dei laudem et praecepta vitae exhibent utilissima,* sunt: Psalmi, Canticum, Proverbia atque Ecclesiastes. *Deuterocanonicorum* numerum Iosephus non indicat.

Neminem latet Iosephum, canonem secundum Pharisaeorum doctrinam enumerasse atque ideo canonem cum Esdra clausisse (Cf. supra § 3 β).

δ) In 4 Esdr. XIV (qui in fine editionis Vulgatae Latinae legitur) habetur narratio alicuius visionis, qua Esdras, alter Moysis, videt Dominum e rubo sibi loquentem, ut iret et corriperet populum suum (vv. 1-17). Respondet vero Esdras legem esse incensam, et petit a Deo Spiritum Sanctum ut scriberet " omne quod factum est in saeculo ab initio, quae erant in lege tua [Dei] scripta ut possint

homines invenire semitam „ (vv. 21-22). Deus ergo praecipit Esdrae, ut segregatus cum quinque scribis per quadraginta dies dictet eis verba, quae illi revelaturus erat. Post mysteriosam potionem Esdras per quadraginta dies dictavit et quinque scribae ducenti quattuor libros exararunt (vv. 37-44). Post haec Altissimus dixit Esdrae: " Priora quae scripsisti, in palam pone, et legant digni et indigni: Novissimos autem septuaginta conservabis, ut tradas eos sapientibus de populo tuo... „ (vv. 45-46).

Versiones Orientales alium numerum librorum, a Deo mediante Esdra, quinque scribis dictatorum, habet, scilicet " nonaginta quattuor „. Hancque lectionem communiter interpretes admittunt. Subtractis autem septuaginta libris, sapientibus reservatis, remanent viginti quattuor, seu numerus librorum sacrorum V. T., secundum canonem Palaestinensem.

Hic liber, nonobstante auctoritate ei a pluribus Patribus tributa, numquam in canonem ab Ecclesia receptus fuit: est ergo inter apocrypha numerandus. Neque aliquid certi scimus de eius auctore vel tempore compositionis. Primitivus liber comprehendit cc. III-XIV, alia capita sunt additamenta ab auctore christiano inserta. Probabiliter liber scriptus est circa finem saec. I post Chr., lingua hebraica vel aramaica, in Palaestina, a Iudaeo quodam [1].

Liber fabulis scatet neque ideo magnam meretur fidem. Ex eo tamen clare deducitur auctorem eius sub fine saec. I canonem Iudaeorum Palaestinensium admisisse, qui revera 24 libros comprehendebat, ut patet ex sequenti textu Talmudis; ideoque et auctorem huius libri credidisse canonem per Esdram definitum fuisse non immerito concluditur.

ε) Saec. II p. Chr. habemus librorum elenchum secundum canonem Palaestinensem, qui in Talmude babylonico (*Baba Batra*, 14 b et 15 a) legitur, cuius sequens est tenor:

" Quis scripsit libros sacros? *Moyses* scripsit librum suum, sectionem de Bileam et *Iobum; Iosue* scripsit librum suum et

[1] Cf. Frey J.-B., *De Libris Apocryphis*, in *Institutionibus Biblicis*, Romae 1927, p. 84-85.

octo versus in Lege [Deut. XXXIV, 5-12]; *Samuel* scripsit librum suum, librum *Iudicum* et *Ruth;* David scripsit librum *Psalmorum* per decem senes, per Adam primum, per Melchisedech, per Abraham, per Moysen, per Heman, per Iduthun, per Asaph, per tres filios Kore; *Ieremias* scripsit librum suum, librum *Regum* et *Threnos;* Ezechias et collegium eius scripserunt *Isaiam*, *Proverbia, Canticum* et *Ecclesiastem;* viri magnae synagogae scripserunt *Ezechielem*, *duodecim Prophetas*, *Daniel* et volumen *Esther*. *Esdras* scripsit librum suum et perduxit genealogias *Paralipomenon* usque ad sua tempora, atque haec est confirmatio verbi magistri; Rab Iuda enim se a Magistro audivisse dicit, Esdram non ascendisse ex Babylonia antequam genealogias perduxisset ad suam usque aetatem; tum vero eum ascendisse. Quis eas finivit? Nehemias Helciae filius „.

In isto documento habemus elenchum librorum protocanonicorum, qui 24 sunt, sicut apud 4 Esd.; differt vero ab enumeratione a Iosepho tradita, quia Ruth a libro Iudicum, Lamentationes a libro Ieremiae separat. Ceteroquin numerus 22 ut dicit S. Hieronymus ideo ponitur quia 22 sunt litterae alphabeti.

Ex hoc eadem thesis de Esdra auctore canonis Palaestinensis iterum probatur.

ζ) Auctores catholici urgent Patrum auctoritatem qui hanc Iudaicam fidem de Esdra auctore Canonis Palaestinensis acceptarunt et in scriptis suis non dubitarunt referre.

17. Sententia de Esdra auctore Canonis Palaestinensis diudicatur. — Haec sententia, quam P. Van Kasteren vocavit " le vieux prejugé juif et protestant „ [1] et Fracassini " un'importazione protestante nel campo della teologia cattolica „ [2] supponere videtur definitionem aliquam auctoritativam esse omnino necessariam ut canon V. T. efformari possit. Nullo tamen argumento probant exsistentiam talis definitionis. Uterque modus enim quo ista sententia proponitur, sive a Protestantibus absolute excludens deuterocanonicos, sive moderate a Catholicis retinens possibilitatem admittendi alios

[1] P. Van Kasteren, S. I., *op. cit.*, p. 408.

[2] * Fracassini Umberto, *Che cos'è la Bibbia,* Roma 1910, pag. 78, n. 3.

libros post Esdram compositos (cf. § 17), plus affirmat quam documenta continent. In nullo enim ex allatis testimoniis hoc expresse continetur, neque ipse Iosephus neque auctores Talmudis, qui aliis explicitiores sunt, hoc affirmant. Praeterea Fl. Iosephus et Talmud repraesentant doctrinam Pharisaeorum (cf. § 3, a) quae certocertius coecam fidem non meretur : eo magis quod ex Misna habemus, rabbinos saec. I p. Chr. adhuc disputasse de canonicitate librorum Ecclesiastis, Cantici, Ezechielis et Proverbiorum (1). Sadducaei sicut Samaritani non admittebant nisi solum Pentateuchum (2).

Immerito Protestantes reiciunt deuterocanonicos, quorum *quidam* saltem a Iudaeis Palaestinensibus, *omnes* ab Hellenistis ut sacri habiti sunt. Ergo sententia eorum factis contradicit (Cf. supra § 14).

Catholici autem qui hanc sententiam defendunt immerito appellant ad auctoritatem Patrum, qui hac in re non ut organa Traditionis divinae loquuntur, sed simpliciter referunt iudaicam traditionem. Immo plures pendent a 4 Esd., qui, ut diximus, apocryphus est (3).

18. Sententia probabilior de Canonis formatione. — Alia hodie habetur sententia inter cultores ss. litterarum valde diffusa, quae tenet canonem V. T. fuisse decursu plurium saeculorum efformatum. Haec tamen sententia vario modo exponitur a Catholicis et a Protestantibus ac Rationalistis : pendet enim ab aliis quaestionibus circa auctores, tempus et modum compositionis ss. librorum V. T., in quibus Protestantes, praecipue Liberales et Rationalistae, valde a Catholicis dissentiunt. Statutis tamen quaestionibus de authentia ac tempore ss. librorum, eadem methodus solutionis ab omnibus adhibetur. Haec sententia sive documentis scriptis sive circumstantiis historicis prae aliis conformior videtur, eamque conamur expo-

(1) *Misna*, *Jadajim*, 3, 5 ; *Bab. Sabb.* 30 b ; *Chagiga* 13 a : *Menachot* 45 a.

(2) Cf. * Schürer E., *Geschichte des Jüdischen Volkes* [4], Leipzig 1907, § 22 (II, 480).

(3) Cf. P. Höpfl H., O. S. B., *Introd. Generalis* [2], Romae 1926, pp. 37-39. P. Ruwet, *op. cit.*, p. 18.

nere, primo secundum theoriam heterodoxorum, postea vero secundum doctrinam catholicam.

In variis auctorum expositionibus aliquas subtiles differentias nullo labore unusquisque detegere potest, quod longum est hic enarrare. Notae generales tamen omnibus sunt eaedem, quas ergo nos exponere intendimus.

Haec sententia conclusiones suas fundat in divisione V. T. quae in Textu Massoretico et in antiquis iudaicis documentis habetur, videlicet: in Legem, Prophetas atque Hagiographa. Haec enim non est simplex divisio, sed indicat tres collectiones quae ordine chronologico ad formandum canonem V. T. advenerunt. Ex analysi harum trium collectionum formatio canonis deduci potest.

19. Sententia Protestantium liberalium. — Antiquissima documenta Iudaeorum litteraria sunt cantica popularia, ut canticum Deborae (Iud. V), elegia Davidis de morte Saul et Ionathae (2 Reg. [Sam], I, 19-27). Iam tamen a tempore Davidis ac Salomonis reges sua archiva officialia habebant. Initia litteraturae religiosae ascendit ad saec. IX, quo tempore composita sunt documenta sic dicta Iahvistica atque Elohistica. His prae oculis habitis en quomodo Protestantes explicant canonis V. T. formationem.

1° *Torah:* Prima canonis initia ascendunt ad a. 621, quo inventus est in Templo liber Deuteronomii, quem Iosias rex sollemniter promulgare fecit (4 Reg. XXXIII, 2). Esdras, auctor " Codicis Sacerdotalis „, qui magnam partem continet librorum Genesis, Exodi, Levitici ac Numerorum, composuit *Torah* seu Pentateuchum ex suo Codice Sacerdotali, adiectis documentis Iahuistico atque Elohistico necnon Deuteronomium Iosiae. Sic integer Pentateuchus, opere Esdrae promulgatur circa a. 400. — Alii tamen negant Esdram *integrum* Pentateuchum promulgasse, eique tribuunt solum Codicem Sacerdotalem, atque retardant completionem Pentateuchi usque ad primam medietatem saec. III quo tempore facta est versio Alexandrina.

2° *Prophetae.* Secunda collectio duplicem habet partem: Prior pars comprehendit Prophetas Priores, quorum scripta scilicet: Iosue,

Iudicum, Samuel, Regum, sunt proprie historica, formantque sequelam Pentateuchi, atque ideo suam definitivam formam probabiliter habuerunt circa idem tempus ac Torah ipsa. — Altera pars seu scripta prophetica proprie dicta, videlicet Isaias, Ieremias, Ezechiel et duodecim iuniores Prophetae, paulo post efformata videtur, scilicet circa finem saec. III. Iam enim initio saec. II ab auctore libri Eccli. in laude Patrum secundum ordinem in canone receptum commemorantur.

3.° *Hagiographa.* Initia huius collectionis antiquiora sunt saec. II, iam enim in citata Laude Patrum libri Eccli. sermo est de Zorobabele, Iosue et Nehemia, ex quo concludere licet auctorem cognovisse Libros Paralipomenon, Esdrae et Nehemiae ; praeterea laudatur David auctor Psalmorum, in fragmenta hebraica (c. XLIX, v. 9 [Vg. 11]) memoratur etiam Iob. In I Mach. VII, 16 citatur ut scriptura Ps. LXXVIII [LXXIX]. Ibidem II, 51-60 postquam citaverit facta contenta in libris Genesis, Numerorum, Iosue, Samuelis, Regum, prosequitur : 59. " Ananias et Azarias et Misael credentes liberati sunt de flamma [Dan. III, 50] : 60. Daniel in sua simplicitate liberatus est de ore leonum [Dan., VI, 22] „ Item in eodem libro I, 57 : " Die quinta decima mensis Casleu, quinto et quadragesimo et centesimo anno aedificavit rex Antiochus *abominandum idolum desolationis* super altare Dei... „ quae sunt transcriptio Dan. IX, 27.

Nepos auctoris libri Eccli., qui c. 132 scribebat, cognoscit triplicem collectionem sacrorum librorum, scilicet Torah, Prophetas et *alios libros*, qui tamen vago modo designantur. Hinc quidam volunt hanc tertiam collectionem fuisse clausam iam circa finem saec. II, a. Chr., ut e. gr. Loisy (1) ; alii vero non ante finem saec. I p. Chr. Omnes tamen reiciunt libros deuterocanonicos ut apocryphos (2).

(1) * Loisy, *La Religion d'Israël* [2], 1908, Ch. I. *Les sources*, p. 25.

(2) Cf. * Strach H., *Prot. Real. Encyc.*, [2] (Herzog), s. v. ' Canon ' VII, 450 ss. Robertson Smith, *The O. T. in the Jewish Church*, [2] Edinburgh 1892, Lect. VI, 149-187. * Buhl, *Kanon und Text des A. T.*, Leipzig 1891. * Wildeboer, *The Origin of the Canon of the O. T.* (Versio Angl., auctore B. W. Bacon) London 1895, § 9-11 pp. 101-152. * Loisy, *Histoir du canon de l'A. T.*, Paris 1890, et *La Religion...* pp. 24-38. * Ryle, op. cit., Fracassini, *op. cit.*, Lez. IV, pp. 72-110.

20. Reicitur sententia Protestantium Liberalium. — Haec tamen sententia, modo quo a Protestantibus proponitur, a viris Catholicis admitti non potest. Primo quidem, quia ipsi authentiam Pentateuchi penitus e medio tollunt. *Argumenta* autem ab ipsis *congesta ad impugnandam authentiam mosaicam sacrorum librorum, qui Pentateuchi nomine designantur,* non sunt *tanti ponderis, ut posthabitis quam pluribus testimoniis utriusque Testamenti collective sumptis, perpetua consensione populi Iudaici, Ecclesiae quoque constanti traditione necnon indiciis internis, quae ex ipso textu eruuntur, ius tribuant affirmandi hos libros non Moysen habere auctorem, sed ex fontibus maxima ex parte aetate Mosaica posterioribus fuisse confectos;* ut iure merito decrevit Pontificia Commissio de re biblica (*Ench. Bibl.,* 174).

Secundo vero quia immerito Protestantes ut apocryphos reiciunt libros deuterocanonicos (Cf. sup. § 14).

21. Catholicorum Sententia (1). Ad meliorem in'ellegentiam huius sententiae in mentem recolatur oportet distinctio iam supra (§ 5) tradita, inter canonicitatem alicuius libri eiusque compositionis tempus. Plures enim sunt libri, qui longo tempore post compositionem suam ut canonici agniti sunt. Immo cl. P. I. B. de Glatigny O. F. M. totus est in probando plures sacros libros V. T., in sua actuali forma, scriptos fuisse non ab auctoribus quibus tribuuntur, sed ab aliis hominibus inspiratis, qui libros ex antiquioribus documentis ab auctoribus relictis hauserunt (2). Qua solutione admissa sensibiliter mutatur quaestio de canonis initio; haec quaestio enim ad hoc reduceretur: " Utrum homines Dei [Moyses, Iosue, Prophetae] reliquerint documenta ex quibus tardius alii inspirati auctores Pentateuchum aliosque subsequentes libros V. T. confecissent; an ipsi libri, in sua praesenti forma tribui debeant respective Moysi, Iosue etc... ? Et secundum solutionem quam sibi quisque eligat, concludere

(1) Cf. P. Höpfl, *op. cit.,* p. 40 s.

(2) P. de Glatigny I.-B., O. F. M., *Les commencements du canon de l'Ancien Testament,* Rome 1906, p. 8. Cfr. Recentionem P. Lagrange, in *Revue Biblique,* XVI (1907) pp. 306-312.

debet ad canonis formationem: vel scilicet canonem ipsis diebus Moysis, vel scriptorum posteriorum tempore incepisse „ (1).

Certe dantur antiquiora documenta ex quibus confecti sunt plures V. T. libri. Hoc evidenter patet pro libris Regum, sed forsitan thesis Cl. P. de Glatigny extra iustos limites extenditur cum ad Moysen et prophetas applicatur. Sed, etiamsi res ita se haberet, oportet adhuc distinguatur ultima libri scriptio ab eius in canonem receptione.

Hoc praecipue est notandum, quia liber Danielis, qui a Domino *propheta* vocatur (Mt., XXIV, 15), et a Fl. Iosepho enumeratur inter maximos prophetas (*Ant.*, X, 11, § 7), locum habet inter hagiographa. Quod probabiliter supponit librum Danielis non fuisse receptum ut *canonicum*, nisi post clausam secundam collectionem; false tamen exinde concluditur, ut communiter acatholici faciunt (2), librum Danielis *scriptum esse* post definitionem secundae collectionis, scilicet Prophetarum.

Posita distinctione inter canonicitatem et tempus compositionis ss. librorum, faciliter explicatur triplex collectio canonis V. T., *Torah* scilicet, Prophetae et Hagiographa: nostrumque est investigare tempus quo singulae collectiones definitive clausae sunt. Nullum argumentum extrinsicum, era nostra anterius, afferri potest in hac materia nisi Pentateuchus Samaritanus, Versio Alexandrina, et Prologus libri Eccli. Plura tamen continentur in ipsis libris sacris in quibus unus liber testimonium reddit de alio. Singula haec primo percurrantur oportet.

α) Pentateuchus Samaritanus. Exsistentia Pentateuchi apud Samaritanos, exclusis aliis libris sacris, esset argumentum pro statuenda aetate definitionis primae collectionis canonis V. T., si tempus huius scripti bene cognosceretur. Variae sunt tamen hac de re auctorum sententiae.

1° Quidam putabant originem huius Pentateuchi quaerendam

(1) P. de Glatigny, *op. cit.*, p. 15.

(2) Ita e. gr. * Wildeboer, *op. cit.*, p. 4,27,99... * Loisy, *Histoire*... p. 8 s. * Ryle, *op. cit.*, p. 121, 136..., et alii.

esse in schismate decem tribuum, i. e. saec. X a. Chr. Haec tamen opinio hodie reicitur, quia *Samaritani* in ista sententia confunduntur cum Israelitis, seu regno septentrionali Hebraeorum (1).

2° Alii vero dicunt Pentateuchum Samaritanum originem habuisse durante exsilio Israelitarum, quando novi incolae Samariae acceperunt cultum Iahve (4 Reg. XVII, 24-33) (2).

3° Secundum alios vero Samaritani post reditum Iudaeorum ab exsilio, quando a Iudaeis templum aedificantibus exclusi sunt ne partem cum eis haberent (1 Esd. IV), suum templum super Garizim aedificarunt et Pentateuchum, a Iudaeis sumpserunt (3).

4° Alii tandem aedificationem templi super Garizim et ideo separationem a Iudaeis retardant usque ad tempus Alexandri Magni, nixi auctoritate Fl. Iosephi (*Ant.*, XIII, 9, § 1) (4).

Ex tam variis auctorum sententiis nihil certi concludi potest circa aetatem Pentateuchi Samaritani, quod esset *terminus ad quem* definitionis *Torah*.

β) Versio Alexandrina. Communiter versio haec incepta fuisse dicitur sub Ptolomaeo II Philadelpho (285-247), sed tamen excepto Pentateucho, alii libri nonnisi tardius lingua graeca intepretati sunt. Ex hoc facto concluditur saec. III alias canonis collectiones non fuisse adhuc definitas ac propterea communitatem principem hierosolymitanam Alexandrinis nondum alios libros misisse.

γ) Prologus libri Ecclesiastici. Duo textus magni momenti quoad statum canonis, saec. II a. Chr., habentur, prior in libro Ecclesiastici, cc. XLIV-L, ubi auctor texit hymnum laudis et memorat gesta antiquorum Patrum populi Israel ordinem sequens ss. librorum; alter vero in prologo ad eumdem librum, ab interprete graeco, auctoris nepote, addito. Claritatis gratia praemittimus analysim cc. XLIV-L libri Eccli.

(1) Ita e. gr. * Isaac Newton, apud * Girdlestone R. B., *The foundations of the Bible*, 4 London 1892, p. 6.

(2) Cf. Cornely, *op. cit.*, p. 266-268.

(3) Cf. Chauvin C., *Leçons d'Introd. Générale*, Paris. 1898, p. 85. Pope, *op. cit.*, p. 82.

(4) Cf. * Fracassini, *op. cit.*, p. 82-85.

Interpres dicit in Prologo: " in octavo et trigesimo anno temporis Ptolomaei Evergetis regis, postquam perveni in Aegyptum: et cum multum temporis ibi fuissem; inveni ibi libros relictos... „ Haec verba vario modo intellegi possunt:

α) Vel enim agitur de aetate auctoris,

β) Vel de anno regni Evergetis; duo autem huius nominis Pharaones cognoscuntur: Ptolomaeus III (247-222); et Ptolomaeus VII 170-154; 145-116).

Exinde duo opiniones circa tempus compositionis prologi:

α) Evergetes, de quo in prologo, est *primus* huius nominis, annus vero 38 est annus aetatis interpretis, qui ergo scribebat a. 240, avus vero c. a. 280; et Simon, de quo in c. L, est Simon I Iustus (310-291) (1).

β) Evergetes est *secundus* huius nominis, annus 38 autem, est annus regni huius pharaonis. Prologus ergo c. a. 132 scriptus est, avus vero interpretis c. a. 180-190 scribebat; Simon de quo in c. L, est Simon III, filius Oniae (218-199), de quo loquitur Iosephus (*Ant.*, XII, 4, § 10). Ita communiter.

α) Laus Patrum Antiquorum. Manifestum est auctorem huius laudis non intendisse catalogum texere ss. librorum; sed patres celebrando ordinem sequitur librorum *historicorum* qui *suo tempore* in canonem recepti erant: et ideo neque sequitur triplicem Iudaeorum divisionem, neque omnes memorat libros sacros.

En librorum elenchus, quibus auctor Ecclesiastici usus est:

α) Pentateuchus: *Genesis* (XLIV): laudantur Henoch (16), Noe (17-19), Abraham (20-23), Isaac (24), Iacob (25-27). *Exodus*, *Leviticus*, *Numeri*, *Deuteronomium* (XLV): Moyses (1-6), Aaron (7-27) Phinees (28-31).

β) Prophetae: *Iosue* (XLVI, 1-12), *Iudices* (13-15), *Samuel* (16-23), *Liber Regum* (XLVII): Nathan (1), David (1-13), cuius *Psalmi* memorantur (9-13), Salomon (14-27) eiusque *Canticum*, *Proverbia* et *Ecclesiastes* (17-18) memorantur, Roboam (27-28), Iero-

(1) Bois H., *Essai sur les origines de la philosophie judéo-Alexandrine*, Toulouse 1890, 317-344

boam (29-31), Elias (XLVIII, 1-13), Eliseus (13-18), Ezechias (19-25), *Isaias* (25-28), Iosias (XLIX, 1-7), *Ieremias* (8-9), *Ezechiel* (10), *Iob* (11, cf. textum hebr.), *Duodecim Prophetae* (12).

γ) Hagiographa: Zorobabel (13), Iesus filius Iosedec (14), *Nehemias* (15), Simon (L).

Ex ista analysi manifestum est auctorem libri Ecclesiastici cognovisse primam et secundam collectionem ss. librorum, ac plures libros ex tertia, scilicet: *Psalmos* (XLVII, 9-13), *Canticum*, *Proverbia*, *Ecclesiastem*, et probabiliter *Paralipomena*. *Ruth* cum Iudicibus, *Lamentationes [Baruch ?]* cum Ieremia forsitan inclusit. Sic ergo praeter deuterocanonicos desunt *Daniel* atque *Esther* tantummodo.

β) Prologus. Nepos autem ter memorat divisionem ss. librorum in tres classes, sed elenchum dat nullum. Dicit enim: " Multorum nobis, et magnorum per *Legem*, et *Prophetas*, *aliosque qui secuti sunt illos* sapientia demonstrata est... Avus meus Iesus, postquam se amplius dedit ad diligentiam lectionis *Legis*, et *Prophetarum* et *aliorum librorum*, qui nobis a parentibus nostris traditi sunt, voluit et ipse scribere aliquid horum... „ Et sese quasi excusando propter difficultatem interpretandi scripta hebraica in graecam linguam, prosequitur: " Et ipsa *Lex*, et *Prophetae*, *ceteraque aliorum librorum* non parvam habent differentiam, quando inter se dicuntur „. Ex quo auctor prologi videtur cognovisse versionem alexandrinam, cuius quaedam saltem scripta, ut e. gr. Psalterium, non parum a textu hebraico discordat.

Ex his duobus documentis concludere licet solam tertiam canonis collectionem saec. II ante Chr. non fuisse adhuc clausam.

δ) Testimonium ss. librorum. Nullibi in V. T. sermo est de definitione Canonis ss. scripturarum, sed manifestum est libros sacros qui in arca servabantur ut canonicos habitos fuisse: secus enim explicari nequit eorum veneratio ac frequens allusio apud scriptores sacros posterioris aetatis.

1° *Prima collectio seu Pentateuchus.* Iamvero talium librorum scriptio ad Moysen ipsum ascendit. Sic in Deut. XXXI legimus:

" 9. Scripsit itaque Moyses legem hanc et tradidit eam sacerdotibus filiis Levi... 24. Postquam ergo scripsit Moyses verba legis huius in volumine, atque complevit: 25. Praecepit Levitis, qui portabant arcam foederis Domini, dicens: 26. Tollite librum istum, et ponite eum in latere arcae foederis Domini Dei vestri: ut ibi sit contra te in testimonium „. Et alibi memoratur Moyses aliquid scripsisse. Ex. XVII, 14; XXXIV, 27. Praeterea, ut supra diximus § 20, ex posteriori traditione habemus Moysen integrum scripsisse Pentateuchum. Haec certe fuerunt initia canonis et fundamentum sequentis litteraturae: non potest enim intellegi liber Iosue sine Pentateucho.

Iosue Moysen imitatus est. De eo enim legimus: " Percussit ergo Iosue in die illo foedus, et proposuit populo praecepta atque iudicia in Sichem. Scripsit quoque omnia verba haec in volumine legis Domini „ (Ios. XXIV, 25-26).

Liber Iudicum supponit Pentateuchum et Iosue; compara e. gr. I, 20 cum Num. XIV, 24; Deut. I, 36. — II, 11-15 cum Lev. XXVI et Deut. XXVIII. Neque desunt allusiones ad librum Iosue: compara cc. I-II cum Ios. XV, XVI, XVII, XXIV.

De Samuele pariter legimus: " Locutus est autem Samuel ad populum legem regni, et scripsit in libro, et reposuit coram Domino „ (1 Reg. [Sam.], X, 25).

In 2 Par. XVII, 9 de rege Iosaphat legitur: " Tertio autem anno regni sui (868) misit de principibus suis... et cum eis Levitas... docebantque populum in Iuda, habentes librum legis Domini, et circuibant cuntas urbes Iuda, atque erudiebant populum „.

In 4 Reg. XXII-XXIII (cf. 2 Par. XXXIV) reperitur in Templo liber legis Domini.

In 2 Esd. VIII, 1 populo congregato Esdras legit Librum Legis Moysis.

Sunt praeterea in libris historicis plures allusiones ad facta quae in praecedentibus libris narrata inveniuntur. Non solum ergo Pentateuchus, sed et alii libri historici sunt ab invicem dependentes, librique posteriores prioribus utuntur eosque implicite vel etiam explicite non raro citant.

Idem habetur ex libris propheticis. Sic Isaias increpat Iudaeos quia nolunt audire legem Dei, suosque sermones praecipitur scriptis tradere (Is. XXX, 8-9; XXXIV, 16...). Idem dicendum de Ieremia (cf. II, 8...; XXX, 2; XXXVI, 2-8). Immo in 2 Mach. II, 2 Ieremias dicitur legem transmigrantibus dedisse ne oblivisceretur praecepta Domini.

Ex his textibus, qui faciliter multiplicari possunt, clare constat Pentateuchum seu primam collectionem canonis V. T., ad Moysis tempora ascendere; ac revera a prophetis ut sacram et canonicam habitam fuisse: quamvis nullibi sit sermo de eius sollemni in canonem receptione; haec autem receptio, si revera necessaria fuerit, ex frequenti prophetarum usu legitime praesumitur.

2° *Secunda collectio seu Prophetae.* α) *Libri historici.* Iam vidimus Iosue et Samuelem scripsisse in volumine legis Domini (Ios. XXIV, 26) et reposuisse coram Domino (1 Reg. [Sam], X, 25). Praeterea diximus libros historicos posteriores prioribus uti, eosque citare. Omnes enim libri historici, Paralipomenis exceptis, unam historiam populi electi efformant et sunt intentae continuationes libri praecedentis. — β) *Libri prophetici.* Quidam prophetae memorant se aliquos suos sermones vel visiones scripsisse (Is. XXXIV, 16; Ier. XXX, 2; XXXVI, 2-8; Hab. II, 2...). Immo prophetae posteriores priores cognoscunt ac citant: sic Dan. IX, 2 citat Ieremiam. Prophetae minores saepe *verbatim* inter se conveniunt.

Ex his licitum est concludere, pro prophetis praecipue, plures esse libros qui in sua forma actuali ab ipsis auctoribus, quibus tribuuntur, scriptos fuisse, quidquid in contrarium dicat cl. P. de Glatigny. — *Terminus a quo* ergo secundae collectionis est ipsum Iosue tempus, et pro singulis libris aetas compositionis; *terminus* vero *ad quem* est difficilis dictu. Ex una parte habemus certitudinem de completa secunda collectione iam saec. II, ex Prologo libri Ecclesiastici (c. 132); ex altera vero parte videtur haec collectio finita non fuisse tempore quo Pentateuchus in graecam linguam interpretatus fuit (c. medium saec. III); secus enim non videtur ratio quare graece interpretatus sit solus Pentateuchus, et non etiam Prophetae.

3° *Tertia Collectio seu Hagiographa.* — Elementa huius tertiae collectionis multo antiquiora sunt eius formatione. Nam quoad Psalmos legitur in 2 Par. XXIX, 30: " Praecepitque Ezechias et principes Levitis ut laudarent Dominum sermonibus David, et Asaph Videntis... „ ; et quoad Proverbia : " Hae quoque parabolae Salomonis quas transtulerunt viri Ezechiae regis Iuda „ (Prov. XXV, 1). Praeterea pluries psalmi citantur in libris Regum et Paralipomenon : Quamvis liber Danielis sit propheticus, tamen non facit partem 2ae collectionis. Nihil tamen ex hoc concludi potest quoad aetatem compositionis eius, eo magis quod Dan. IX, 4 verbatim citatur a Nehemia (2 Esd. I, 5).

Terminus a quo huius tertiae collectionis est conclusio 2ae collectionis ; *terminus ad quem* determinari cum certitudine non potest. Pro Iudaeis enim haec tertia collectio videtur fuisse definita in Synodo Iamniensi (c. 100 A. D.) ; sed, ut supra iam diximus, ultimus liber V. T. debuit esse ante adventum Christi iam conscriptus. Hinc, quamvis hi libri essent iam conscripti, de facto pro Christianis definitio huius collectionis facta est a Christo atque ab Apostolis, a quibus Ecclesia accepit ss. libros V. T. — Tertia collectio ergo initio aevi christiani non fuit adhuc clausa, neque ullum adhuc obtinuit nomen quo designari possit, sicut Lex et Prophetae. Tale enim nomen non occurrit. Nomen *ketubim* ante *Misnam* non occurrit (1), et nomen *Hagiographa* a S. Hieronymo inventum est (*Prol. Galeato*). Quidam (2) credunt tertiam collectionem nomine Psalmorum, a parte potiori designatam fuisse, quod probant ex Lc. XXIV, 44 : " Necesse est impleri omnia, quae scripta sunt in *Lege* Moysi, et *Prophetis* et *Psalmis* de me „, sed haec assertio nullo alio probatur argumento.

22. Conclusio : De canonis formatione apud Iudaeos. Quae hucusque dicta sunt breviter resumentes, obscuram quaestionem de

(1) *Iadajim*, III, 5, * Budde tamen dubitat an *Ketubim* hoc in loco tertiam collectionem designet, *Der Kanon des A. T.*, Giessen 1900, 59

(2) * Buhl F., *op. cit.*, p. 16. ; * Budde, *op. cit.*, p. 57.

canonis V. T. formatione apud Iudaeos nondum esse solutam plane fatemur. Haec autem sunt facta quae nobis veri similiora videntur :

α) Iudaei opere prophetarum praecipue ducti distinxerunt libros sacros a profanis.

β) Initia canonis V. T. usque ad ipsum Moysen ascendunt, cui tribui debet Pentateuchus.

γ) Alii libri sacri, decursu temporis conscripti, nonnisi post captivitatem in duas collectiones divisi canonem V. T. efformarunt.

δ) Duplicem Iudaeorum canonem: Palaestinensem, scilicet, solos protocanonicos, atque Alexandrinum etiam deterocanonicos comprehendentem, eamdem habuisse originem ac de facto unum efformasse canonem credendum est. Praeiudicia vero pharisaica deuterocanonicos excluserunt e canone.

Art. II — HISTORIA CANONIS V. T. APUD CHRISTIANOS

23. Canon V. T. tempore Christi atque Apostolorum. — Christus et Apostoli saepissime libris sacris V. T. in suo ministerio usi sunt. " Ipse [Iesus] enim, dicit Leo XIII, qui miraculis conciliavit auctoritatem, auctoritate meruit fidem, fide contraxit multitudinem „ (1), ad sacras Litteras, in divinae suae legationis munere, appellare consuevit : nam per occasionem ex ipsis etiam sese a Deo missum Deumque declarat ; ex ipsis argumenta petit ad discipulos erudiendos, ad doctrinam confirmandam suam ; earumdem testimonia et a calumniis vindicat obtrectantium, et Sadducaeis ac Pharisaeis ad coarguendum opponit, in ipsumque Satanam, impudentius sollicitantem, retorquet ; easdemque sub ipsum vitae exitum usurpavit ; explanavitque discipulis redivivus, usque dum ad Patris gloriam ascendit.

" Eius autem voce praeceptisque Apostoli conformati, tametsi

(1) S. Augustinus *De Utilitate credendi*, XIV, 32.

dabat ipse *signa et prodigia fieri per manus eorum* [Act. XIV, 3], magnam tamen efficaciam ex divinis traxerunt libris, ut christianam sapientiam late gentibus persuaderent, ut Iudaeorum pervicaciam frangerent, ut haereses comprimerent erumpentes. Id apertum ex ipsorum concionibus, in primis Beati Petri, quas, in argumentum firmissimum praescriptionis novae, dictis V. T. fere contexuerunt; idque ipsum patet ex Matthaei et Ioannis Evangeliis atque ex Catholicis, quae vocantur epistolis; luculentissime vero ex eius testimonio, qui " ad pedes Gamalielis Legem Moysi et Prophetas se didicisse gloriatur, ut armatus spiritualibus telis, postea diceret confidenter: *Arma militiae nostrae non carnalia, sed potentia Deo* „ (1) (Ench. Bibl. nn. 69 s.).

Ex usu frequentissimo ss. librorum, in Apostolorum scriptis, ubi ut bene notavit Swete (2), citationes ex V. T. magnam textus partem non raro efformant, praecipue in Evangeliis Synopticis et in quibusdam Pauli Epistulis, deducere conamur extensionem canonis V. T. ab Apostolis admissi. Notum est tamen nullibi in N. T. dari catalogum sacrorum Librorum, immo neque omnes libros V. T. in N. citari.

Ad cognoscendum ergo quinam libri a Christo atque ab Apostolis ut canonici recepti fuissent, primo examinare debemus ipsa N. T. scripta; postea vero scripta Patrum et Theologorum, qui ab Apostolis edocti, eorum exempla secuti sunt; et tandem definitiones Ecclesiae, quae suo infallibili magisterio in re tanti momenti, nos manuducit in agnitionem ss. librorum.

24. Citationes ex Vetere in Novo Testamento (3). — Quoad

(1) S. Hieronymus, *Epist. 53 (al. 103) ad Paulinum*, 3. - Cf. Act. XXII, 3; 2. Cor. X, 4.

(2) * Swete, *op. cit.*, p. 450.

(3) Cf. Böhl, *Die alttestl. Zitate im N. T.*, Wien 1878. * Westcott et * Hort, *The New Testament in the Original Greek.* I (Text), London 1898, pp. 581-595. * Swete, *op. cit.*, p. 381-405. - Hühn E, *Die alttestl. Zitate und Reminiscenzen im N. T.*, Tübingen 1900. - Dittmar, *Vetus Testamentum in Novo. Die altestamentlichen Paralleles des Neues Testaments*, Göttingen 1903.

libros protocanonicos vix esse potest difficultas, cum iam in documentis Christo anterioribus omnes contineantur. Et quidem:

α) *Lex.* Iesus directe loquitur de hominis creatione, de matrimonii institutione, de occisione Abel, de diebus Noe, de Sodomae destructione, de historia Abrahae, de apparitione Dei in rubo ardenti, de manna in deserto, de serpente aeneo. Praeterea frequentissimae sunt allusiones ad partes Pentateuchi legales: immo ipse directe interrogat: " Non legistis in lege? „ (Mt. XII, 5) " In lege quid scriptum est? Quomodo legis? „ (Lc. X, 26). Immo expresse dicit: " Iota unum aut unus apex non praeteribit a lege „ (Mt. V, 18, cf. Lc. XVI, 17).

Post haec vix est necessarium citare Apostolorum scripta. Alicuius momenti tamen sunt citationes S. Lucae in sua historia infantiae de ritibus Mosaicis, de circumcisione, oblatione puerorum in Templo; sicut etiam de coena paschali apud omnes Evangelistas, praecipue apud Ioannem.

β) *Prophetae.* Quoad prophetas priores, Iesus loquitur de vicissitudinibus David, de gloria Salomonis, de ministerio Eliae et Elisei. Quoad prophetas posteriores citationes sunt frequentiores. Iesus utitur quattuor maioribus prophetis, sibique applicat Is. LXI, 1-2 (Lc. IV, 16-30); alludit ad Ieremiam (II, 2) sponsum se vocans, (II, 13) atque aquae fontem; ad Ezechielem et Danielem alludit sibi applicans epitheton " Filius hominis „ (Cf. Ps. VIII). Explicite citat Danielem ut prophetam (Mt. XXIV, 15). Prophetas minores, qui unum efformabant librum, cognoscit eosque quandoque citat, e. gr. Ionam.

Idem dicendum de Apostolis. Libri Iosue, Iudicum, Samuelis, Regum citantur a S. Stephano (Act. VII, 45-47) atque a S. Paulo (Act. XIII, 10-22), a S. Matthaeo et Luca in genealogiis. Prophetae posteriores saepessime allegantur praecipue Isaias apud S. Mt. Uno verbo ex secunda collectione omnes libros citantur vel saltem ad eos fit allusio duobus exceptis, scilicet Abdia et Nahum, quia, considerata eorum brevitate, nulla occasio Iesu Apostolisque est oblata ad eos citandos.

γ) *Hagiographa.* Gravior est difficultas pro tertia collectione : plures enim sunt libri non solum ex deuterocanonicis, sed etiam ex protocanonicis, ut Esther, Esdrae, Cantici, Ecclesiastis, qui in N. T. nunquam citantur. Sed tamen neque in ista collectione esse potest difficultas pro libris protocanonicis, cum libri hi cognoscantur illo tempore admissi fuisse ; sic ergo dubium restringitur ad solos deuterocanonicos.

Quamvis autem in libris N. T. nullum habeamus argumentum explicitum pro canonicitate librorum deuterocanonicorum : plura tamen habentur argumenta implicita, non enim desunt citationes implicitae atque allusiones in N. T. ad libros deuterocanonicos. Ex istis tamen allusionibus vel implicitis citationibus non necessario concluditur ad canonicitatem librorum, ex quibus depromtae sunt citationes. Nisi enim citentur, *quatenus sunt canonici*, argumentum non probat nisi *exsistentiam* talium librorum.

Ipse Iesus pluries alludit ad libros deuterocanonicos, v. gr. in Mt. XI, 25-30 : " Confiteor tibi, Pater, etc... „ alludit ad orationem Iesu filii Sirach (Eccli. LI). Item in Io. XV, 1 : " Ego sum vitis vera, etc... „ alludit ad Eccli. XXIV, 17 (1).

Similiter Apostoli in scriptis suis pluries alludunt ad libros deuterocanonicos, vel etiam verba ex eis excerpunt. Sic S. Iacobus pluries alludit ed librum Ecclesiastici, compara v. gr. Iac. I, 19 cum Eccli. IV, 29 ; V, 11 ; Iac. III, 8-10 cum Eccli. XXVIII, 16-21 ; Iac. V, 3 cum Eccli. XXIX 10 s. (2). S. Matthaeus XXVII, 39-43 alludit ad librum *Sapientiae* II, 13-18 (3). Eodem libro saepissime

(1) Cf. Mainage T., O. P., *Les Origines du Canon chrétien de l'A. T.*, in *Revue des Sciences Phil. et Théol.*, III (1909), p. 283 s., n. 1.

(2) Cf. * Zahn T., *Einleitung in das N. T.* [3], I, Leipzig 1906, p. 86-87.

(3) Cf. Mainage, *op. cit.*, p. 289, n. 1.

utitur S. Paulus (1). Auctor Epistulae ad Hebraeos (XI, 34-35) alludit ad 2 Mach. VI, 18-VII, 42 (2) etc.

Si autem libro Sapientiae tam frequenter usi sunt Apostoli, necnon libro 2 Mach., qui prae ceteris libris deuterocanonicis maiorem patiuntur difficultatem, recte concludere possumus Apostolos et alios deuterocanonicos admississe, quos forsitan non citant, quia minime eis oblata est occasio.

Auctores N. T., ergo, integrum canonem V. T. cognoverunt atque approbarunt, quamvis unum vel alterum librum neque explicite neque implicite citent. Quoad eorum autem citandi modum, haec licet deducere :

Libri V. T, citantur in Novo sub nomine *Legis*, est prima collectio (Mt. V, 18 ; XII, 5 ; Lc. II, 23 ss...) ; *Prophetarum*, secunda collectio (Mt., II, 23 ; XXVI 56 ; Lc. XXIV, 25...) seu etiam nominatim : *Isaias* (Mt. XV, 7 ; Mc. VII, 6 ; Rr. IX, 27...), *Ieremias* (Mt. II, 17), *Daniel* (Mt. XXIV, 15)... Pro tertia collectione nullum est nomen, sicut ceteroquin neque apud auctorem Prologi Ecclesiastici, neque apud Fl. Iosephum. Libri ergo huius categoriae nominatim citantur, ut *Psalmi* (Lc. XXIV, 44), *liber Psalmorum* (Lc. XX, 42), *Psalmus secundus* (Act. XIII, 33), sed praeter hunc librum et *Daniel*, nullus alius ex tertia categoria *nominatim* citatur.

Quidam ex Mt. XXIII, 35 ; Lc. XI, 50-51 educere credunt canonem a Iesu admissum fuisse Palaestinensem. En eorum argumentum. In loco parallelo citato quaestio est de serie a Iudaeis occisorum ab Abele usque ad Zachariam, filium Barachiae. De martyrio Abelis sermo est in primo sacrarum Scripturarum libro, Genesi scilicet ; de Zacharia vero agitur in 2 Par. XXIV, 20-21 qui est

(1) Grafe, *Das Verhältniss der paulinischen Schriften zur Sapientia Salomonis*, in *Theol. Abhandl. zu Weizsäcker's 70 Geburstag*, Freiburg, 1892, pp. 251-286. - * Thackeray, *The relation of. St. Paul to contemporary Jewish thought*, London 1900, p. 223 ss. - Mainage, *op. cit.*, p. 289 s., n. 1 ; 291, n. 2. * Windisch H., *Die göttliche Weisheit der Juden und die paulinische Christologie*, in *Neutest. Studien Heinrici gewidmet*, Leipzig 1914, p. 220-234.

(2) Cf. Mainage, *op. cit*, p. 292, n. 2.

ultimus liber tertiae categoriae seu *Ketubim*, clauditque canonem Palaestinensem (1). Ergo manifesta est allusio ad canonem Palaestinensem a Iesu admissum.

Identitas tamen inter Zachariam filium Barachiae, de quo in Ev. S. Mt., et Zachariam filium Ioiadae in 2 Par., est valde dubia. *S. Hieronymus* conatur demonstrare nomina Barachias et Ioiada esse etymologice synonyma. Quidam recentiores radicalius procedendo dicunt auctorem primi Evangelii addidisse epitheton filium Barachiae ad Zachariam, qui nullam determinationum habet in tertio Evangelio, et hunc Zachariam confundit cum propheta homonymo (Cfr. Zach. I, 1) (2). Evangelium ad Hebr. supprimit difficultatem mutando nomen Barachiae in Ioiadam (3).

Plures tamen hanc identitatem simpliciter negant et Zachariam identificant cum homonymo, qui duobus annis ante destructionem civitatis Sanctae, in templo occisus est (4). Nomen patris varium est in diversis codicibus: Bariscaeus, Baris, Baruch; parum ergo differt a Barachia (5).

Tertia sententia admitti non potest; si enim Zacharias quadraginta fere annis post Christi mortem a Iudaeis occisus est, de eo certocertius Iesus non est locutus.

Admissa etiam identitate inter Zachariam Ev. S. Mt. et 2 Par., non necessario sequitur deuterocanonicorum exclusio, quia ordo librorum V. T. non semper idem est (6).

Extensio canonis Apostolorum a versione Alexandrina, qua

(1) Ita * Schürer, *op. cit.*, § 25, I, n. 13 (II, p. 268).

(2) * Weiss B., *Das Matthäus-Evangelium*, 7 in * Meyer's *Komm. zum N. T.*, Göttingen 1898, p. 400 n.

(3) Cf. * Zahn, *op. cit.*, II 3 1907, p. 304.

(4) Cf. Fl. Iosephum, *De Bello Iudaico*, IV, 5, § 4.

(5) * Wellhausen *Israelitische und Jüdische Geschichte* 3 p. 366; *Das Evangelium Matthäi übersetzt und erklärt*, Berlin 1904, p. 120.

(6) Cf. P. Höpfl, *Introd. Gen.*, pag. 22, n. 1. Contra tamen sentit * Driver S. R. *Introd. to the Literature of the O. T.*, 9 Edinburgh 1913, Introd. I s.

generaliter usi sunt, deduci potest. Etenim ex 350 circiter citationes, vix 50 ab Alexandrina versione non videntur assumptae.

Huic tamen argumento opponi potest, manuscripta huius versionis, quae ad nos usque pervenerunt, antiquiora saec. III p. Chr. non esse [1], quae praeterea et libros continent plane apocryphos.

Esto antiquiora manuscripta saec. III p. Chr. non habeantur, nemo tamen dubitat libros et protocanonicos et deuterocanonicos fuisse apud Iudaeos Hellenistas tempore Domini et Apostolorum. Quoad apocryphos vero suo loco dicetur.

25. Canon V. T. apud Patres. — Patres, ab Apostolis edocti, eorumque exempla secuti, magnum fecerunt usum librorum V. T., quos secundum versionem Alexandrinam, ab Apostolis approbatam, citant. Sed, uti iamiam diximus, non omnes libri sacri citati ab Apostolis fuerunt, nec manuscripta versionis Alexandrinae saec. III p. Chr. antiquiora sunt. Momentum ergo scriptorum, a Patribus nobis relictorum, in eo praecipue consistit, ut sciamus quosnam libros Ecclesia ab Apostolis receperit.

Ad amplos limites huius quaestionis aliquantulum coarctandos, iterum recolendum esse ducimus id, quod iam supra statuimus circa triplicem canonis collectionem; scilicet, quod prima collectio seu *Torah* ac secunda collectio seu *Prophetae* iam saec. II a. Chr. fuerunt clausae. Circa has duas collectiones, ab omnibus semper admissas, nulla exsistit difficultas. Quaestio ergo limitatur ad tertiam collectionem seu ad *Hagiographa*.

Haec tertia collectio tempore D. N. et Apostolorum non videtur fuisse clausa. Quidam libri huius collectionis fuerunt unanimiter admissi, alii vero etiam ex protocanonicis, adhuc erant disputati. Pro Iudaeis haec quaestio terminata est in Synodo Iamniensi, cum exclusione librorum deuterocanonicorum. Quid vero pro Christianis?

Quoad libros protocanonicos nullum adest dubium nisi pro libro *Esther*. Hic enim liber excluditur a canone Melitonis Sardensis

[1] Cf. * Swete, *op. cit.*, p. 123.

(c. a. 175), S. Athanasii (a. 367), S. Gregorii Naz. († 390), S. Amphilochii (c. a. 380),... Deuterocanonici vero a pluribus reiciuntur.

Nostrum est ergo Patrum testimonia examinare circa usum illorum librorum, qui quandoque reiecti fuerunt, ex quibus probare possumus huiusmodi libros, primo ut sacros ac canonicos habitos apud Christianos, tardius vero, sub influxu praecipue Iudaeorum, in dubium versos fuisse. Ecclesia ergo quando huiusmodi libros in canonem recepit, contrariam sententiam certocertius cognoscebat, et nonnisi post serium examen a Spiritu Sancto adiuta, canonem definivit.

26. Deuterocanonicorum usus apud Patres (1). — Duplex methodus dari potest in ista expositione; vel scilicet, ut communiter fit, ex scriptis alicuius Patris determinatur canon librorum quibus ipse usus sit; vel e contra, examinatur usus singulorum librorum apud Patres ac Scriptores Ecclesiasticos. Haec secunda methodus nobis magis arridet, eo quod melius demonstrat valorem et venerationem ss. librorum cum documenta circa singulos in unum congesta simul exponuntur, quam si pro unoquoque scriptore vel pro singulis Ecclesiis particularibus unius vel plurium librorum nomen apud ipsos adhibitorum recenseatur.

Quoad ordinem servandum in afferendis testimoniis auctores communiter servant successionem Patrum chronologicam, historiamque canonis dividunt in tres vel plures periodos, quarum singulae denominantur secundum quod libri deuterocanonici accipiuntur, vel in dubium vertuntur. Forsitan clarior evadit expositio nostra, si servato ordine chronologico, testimonia distinguamus prout canonici-

(1) Cf. * Hody Humfredus, *De Bibliorum Textibus Originalibus*, Oxonii 1705, IV, c. 4: *De librorum biblicorum numero et ordine*, pp. 644-664. * De Gebhardt O., * Harnack A., * Zahn T., *Patrum Apostolicorum Opera* [3], Leipzig 1876-1877, I, 144-145; II, 282-384; III, 272. Funk, F. X., *Patres Apostolici* I [2] Tubingae 1901, p. 640-652; II [3] (curis Diekamp Fr.), Tubingae 1913, pp. 451-465. Schema citationum ex libris deuterocanonicis in scriptis Patrum usque ad medium saec. V invenies apud Vigouroux, *Dict. de la Bible*, II, 161-168. * Westcott, *op. cit.*, appendix D: *The chief Catalogues of the Books of the Bible during the first eight centuries*, pp. 539-579. Cammerlynck A., *Comp. Introd. Gen.*, Prior Pars: *Documenta*, Brugis 1911, §§ 20-38 (pp. 59-87).

tatem deuterocanonicorum affirmant vel prout eam negant. Ex ista enim expositione veritas forsitan melius patebit. Unum tamen hac in re vitare oportet, quod scilicet argumentum *ex silentio* desumpto urgeri non debet. Nisi enim evidenter constet scriptorem aliquem libros deuterocanonicos non citasse, quia ut canonicos non agnovisse, non potest validum confici argumentum. Fieri enim potest ut auctor aliquis non citet deuterocanonicos, non ideo quia eos ut canonicos non habet, sed quia ab adversariis, Iudaeis praesertim, non recipiebantur tali libri. Hinc Iustinus, in *Dialogo cum Tryphone Iudaeo*, explicite fatetur: " De illis [scriptis], quae apud vos communi consensu admittuntur, controversiam instituam „ (n. 120; PG, VI, 756). En ergo Patrum testimonia:

1° *Liber Baruch* cum *Epistula Ieremiae*, libro Ieremiae unitus fuit et saepe sub nomine Ieremiae citatur (1). Patres eo frequenter usi sunt (2). Sic Athenagoras († 177) citat Bar. III, 36 ut verba prophetae (*Legat pro Christ.*, IX, PG, VI, 906 s.): " Non enim vobis... ignota esse puto Moysis scripta aut Isaiae, aut Ieremiae et aliorum prophetarum, qui mente et animo extra se rapi, impellente Spiritu Sancto, quae ipsis inspirabantur, ea locuti sunt; utente illis Spiritu Sancto, velut si tibiam inflet tibicem „. Sequitur citatio ex *Baruch*. Haec est antiquior citatio in litteratura Christiana. Item S. Irenaeus († 202), *Cont. Haer.*, V, 35 (PG, VII, 1219) citat Bar. IV, 36-V, 9 sub nomine *Ieremiae prophetae*. S. Clemens Alex. († 216/7) saltem vicies quater citat Baruch et quandoque sub nomine *Ieremiae Prophetae* (*Paed.*, I, 10, 91, 92), quandoque post formulam: ἡ θεία που λέγει γραφή (*Paed.* II, 3,36). Tertullianus († 222 ?), *Scorpiace* 8, citat *Baruch* sub nomine *Ieremiae prophetae*. S. Hippolytus († 235), *Contra Haeresin Noeti*, II (PG, X, 805 s.) disputat de veru sensu Bar. III, 35-37, quod supponit hunc locum fuisse revera sacrum tum pro Noeto tum pro seipso. Origenes († 254), citat Bar. III, 9-13 sub formula γέγραπται (*In Ier.*, Hom. VII, 3), Bar. III, 10 post verba γέγραπται ἐν τῷ Βαρούχ (*Selecta in Ier.*, c. XXXI),

(1) Cf. Supra p. 22, n. 4.

(2) Cf. Reusch H., *Erklärung des Buchs Baruch*, Freiburg i. B. 1853, p. 1-21, 268.

et Bar. III, 38 sine ullo verbo introductorio *(Sel. in Ps.* CXXV, PG, XII, 1641). Commodianus (med. saec. III), citat Bar. III, 35-37 sub nomine *Ieremiae* (*Carmen Apologeticum*, vers. 367 s.). S. Cyprianus († 258), *De orat. Dominica*, V (PL, IV, 522) scribit: " Per Hieremiam quoque haec eadem Spiritus Sanctus suggerit et docet dicens: *In sensu autem tibi debet adorari Deus* (Bar. VI, 5) „. Item in *Testimon.* Libr. II, VI (PL, IV, 701) citat Bar. III, 35 sub nomine *Ieremiae*. S. Gregorius Thaumaturgus († 270), *De Fide,* XII, inducit verba ex Bar. III, 38 (PG, X, 1133). S. Methodius († 311), *Convivium Decem Virginum*, VIII, 3 allegat Bar. III, 14 s. sub nomine *Ieremiae* (PG, XVIII, 141 s.). Eusebius Caes. († 340), *Demostr. Evan.*, VI, 19 postquam citaverit Bar. III, 29-38 addit: " Nihil adiungere oportet divinis vocibus θείαις φωναῖς, quae evidentissime propositum nostrum confirmant „ (PG, XXII, 468). S. Hilarius († 367), *Trac. in Ps.* LXVIII, 19 citat Bar. III, 36 sub nomine *Ieremiae* (PL, IX, 482); et in *De Trinit.*, IV, 42: " Audi enim praeter Moysen et Esaiam, tum tertio id ipsum quoque et *Ieremiam* docentem, cum dicit: *Hic Deus noster...* Bar. III, 36 ss. „ (PL, X, 127). S. Athanasius († 373), *De titulis Psalm.*, Ps. LXXVII, XCIII (PG, XXVII, 983, 1053) citat Baruch III, 38. Item S. Basilius († 379) eumdem locum sub nomine *Ieremiae* inducit (*Adv. Eunom.* IV, PG, XIX, 705). S. Cyrillus Hier. († 386) eumdem textum *Baruch* refert, praemissa formula: " Audi Prophetam dicentem „ (*Catech.* XI, 15; PG, XXXIII, 709). S. Ambrosius († 397), *Expos. in Ps. 118*, Serm. XVIII, 2, dicit: " Haec omnia in Scripturis divinis qui quaerit, invenit. Nam primum illud ut in dolore positos consolemur, docet illa quae in libro *Ieremiae* flebiliter clamat ad captivos et exsules Iudaeorum „ et statim inducit Bar. IV, 19-22 (PL, XV, 1527 s.). S. Epiphanius († 403) praemissis verbis ὡς λέγει ἡ Γραφή refert Bar. III, 36-38 (*Adv. Haer.* II, Haer. LVII, 2; PG, XLI, 997). S. Ioan. Chrysostomus († 407), *Expos in Ps.* XLIX, 3 inducit Bar. III, 36-38 sub nomine *Ieremiae* (PG, LV, 246). S. Augustinus († 430), allato Bar. III, 36-38 dicit: " Hoc testimonium quidam non *Ieremiae*, sed scribae eius attribuunt, qui vocatur *Baruch;* sed *Ieremiae* celebratius

habetur „ (*De Civ. Dei*, XVIII, 33; PL, XLI, 592) et in canone ss. librorum nec *Baruch* nec *Lamentationes* memorat, quia eos sub nomine *Ieremiae* includit (*De Doctr. Chr.*, II, 8; PL, XXXIV, 41). S. Cyrillus Alex. († 444), citat Bar. I, 5-7,10 (*De Ador. in Spir. et Verit.*, I fin.; PG, LXVIII, 209). Huius auctoris habetur fragmentum in Bar. III, 3 (PG, LXX, 1457). Evagrius (initio saec. V), *Altercatio inter Theoph. Christ. et Sim. Iud.*, indicat receptionem *Baruch* apud Christianos eiusque reiectionem apud Iudaeos (PL, XX, 1172) (1).

2° *Tobias*. Hic liber, iam in scriptis Patrum Apostolicorum citatus invenitur. Fositan iam in *Doctrina Duodecim Apostolorum*, I, 2 (c. a. 100) est allusio ad Tob. IV, 15. In Ps.-Clementis *2 Ep. ad Cor.* XVI, 4 (c. a. 150) cf. Tob. XII, 8, 9. S. Polycarpus († 156), in *Ep. ad Philip.* X, 2 citat verba Tob. IV, 10; XII, 9. Pastor Hermae (155) in *Vis.* I, I, 6 utitur Tob. V, 17 et in *Mand.* V, II, 3, Tob. IV, 19. S. Irenaeus († 202), *Adv. Haer.*; I, XXX, 11 refert Ophitas *Tobiam* inter libros V. T. numerasse. S. Clemens Alex. († 217), *Stromata*, II, 23 citat Tob. IV, 19 post verba: " Hoc breviter *Scriptura* significavit, dicens... „ (PG, VIII, 1090); et ibid. VI, 12 inducit Tob. XII, 8 post formulam: " Audiens *Scripturam* quae dicit... „ (PG, IX, 323). S. Hippolytus († 235), in *Fragmentis Comm. in hist. Susannae* scribit: " Quo tempore Susanna ad Deum oravit, fuitque exaudita, missum ei fuisse angelum qui eam adiuvaret, haud secus ac se res in *Tobia et Sarra* habuit [Tob. III, 24] „ (PG, X, 698). Origenes († 254), *De Oratione*, 11 scribit: " Quae inde patent quod Raphael obtulerit Deo rationabile obsequium Tobiae et Sarae. (Nam post utriusque orationem *exaudita est*, inquit Scriptura, *deprecatio utrorumque*...), et citat Tob. III, 24; XII, 12, 15; XII, 8 (PG, XI, 447). Cf. etiam cc. 14, 31 (PG, XI, 461, 553.) et *Contra Celsum*, V, 19 (PG, XI, 1208 s.). *In Epist. ad Afric.*, 13 dicit: " Nos oportebat scire Hebraeos *Tobia* non uti neque *Iudith*. Nec enim hos libros etiam in apocryphis

*(1) Huius operis emendatiorem edit. curavit * Harnack A., *Texte und Untersuchungen*, I, Heft 3, Leipzig 1883, p. 1-136.

Hebraice habent, ut ab ipsis didicimus. Sed quoniam Ecclesiae Tobia utuntur — χρῶνται τῷ Τωβίᾳ αἱ Ἐκκλησίαι, — sciendum est etc... „ et citat Tob. I, 12, 13, 14, 16, 17, 18, 19, 20, 22 (PG, XI, 79-82). S. Cyprianus († 258), *De Oratione Dominica*, XXXII, scribit: " Et ideo Scriptura divina instruit dicens: *Bona est oratio cum ieiunio et eleemosyna* (Tob. XII, 9) „ (PL. IV, 540) et alibi saepe eodem libro utitur, ut in *De Opere et eleemosyna,* V et XX (PL, IV, 606, 617), in *Ep. ad Fort.*, XI (PL, IV, 668), *Testim.*, III, 1, 6, 62 (PL, IV, 728, 736, 767). S. Dionysius Alex. († 264) Epist. X, *Adv. Germanum Ep.*, 4 dicit: " Sed quoniam arcanum quidem regis ⌜occultare, ut ait *Scriptura*, laudandum est [Tob. XII, 7] „ (PG, X, 1319). S. Hilarius († 367), *Trac. in Ps.* CXXIX, 7 citat Tob. XII, 12, 15 (PL, IX, 722). S. Ephraem († 373) pluries libro Tobiae usus est. Sic in *Paraenesi* XXXIX, citat Tobiam III, 1-2 sub nomine Scripturae. S. Optatus (c. 370), *De Schism. Donat.*, III, 2 (PL, XI, 990 s.) refert historia Tobiae. S. Ambrosius († 397) librum scripsit *De Tobia* (PL, XIV, 797-832), ubi liber noster saepius *Scriptura* et Tobias *propheta* vocatur. In *Constitutiouibus Apostolicis* I, I est forsitan allusio ad Tob. IV, 17. S. Hieronymus († 420), *Comm. in Eccle.* VIII (PL, XXIII, 1128) citat Tob. XII, 7. S. Augustinus († 430) *Tobiae* librum in suo canone enumerat (*De Doctr. Christ.*, II, 8; PL, XXXIV, 41).

3° *Iudith.* Quidam [1] iam vident allusionem ad Iudith (VIII, 14) in N. T. (1 Cor. II, 10). S. Clemens Rom. († 101) iam scribebat: " Mulieres complures per gratiam Dei corroboratae, strenue et virilia multa gesserunt. Beata *Iudith*, cum urbs obsideretur, rogavit seniores ut sibi liceret in alienigenarum castra transire: ac seipsam periculo tradens, propter charitatem patriae populique obsessi egressa est; et Dominus tradidit Olophernem in manu feminae [Iudith VIII-XIII] „ (1 Cor. LV, 4, 5); et *ibid.*, LIX, 3, 4 verba usurpat ex Iudith, IX, 11. S. Ignatius († 107), *ad Eph.* XV, 1 forsitan alludit ad Iudith XVI, 17 (14). In *Martyrio Polycarpi* XIV, 1 (a. 156)

(1) Vigouroux, *op. cit.*, p. 143.

recolitur Iudith IX, 12-14. In Ps.-Ignatii *Epist. ad Philadelpienses*, IV, 8 legitur: " Sint autem viduae non vagae neque gulosae neque protervae, sed pudicae et sobriae sicut *Iudith* et Anna „. Cf. Iudith VIII, 4, 6. S. Clemens Alex. († 217), *Stromata* II, VII videtur alludere ad Iudith VIII, 27 (PG, VIII, 969). Tertullianus († 222), *De Monogamia*, XVII scribit: "...Nec *Iudith* filia Merari, nec tot alia exempla sanctorum „ (PL, II, 1002). Origenes († 254) sicut pro Tobia ita pro *Iudith* fatetur Hebraeos eo non uti, neque addit sicut pro Tobia an eo Ecclesiae utantur (*Epist ad Afric.* 13; PG, XI, 79); ipse tamen saepe citat librum *Iudith*, eamque ut sanctam, fortem atque imitandam proponit; ita in Lib. VI *Stromatum* (PG, XI, 102) refert ad Iudith II; in *De Oratione*, 13 ad Iudith XIII, 19; 29 ad Iudith VIII, 22 (PG, XI, 454, 531); Hom. IX *in Libr. Iudicum* (PG, XII, 987) ad Iudith XIII; in *Comm. in Ioan.*, II, 16 (PG, XIV, 151) ad Iudith IX, 2. S. Methodius († 311), *Convivium Decem Virginum*, XI, 2 alludit ad Iudith VIII, 1 (PG, XVIII, 211). S. Hilarius († 367), *Tract. in Ps, CXXV*, 6 citat Iudith XVI, 3 (PL, IX, 668). S. Epiphanius? († 403), *Tract. de numerorum mysteriis*, 3 (PG, XLIII, 511) Iudith memorat. S. Hieronymus († 420) Epist. LXV *ad Principiam Virg.*, 1 scribit: " Ruth et Esther et *Iudith* tantae gloriae sunt, ut *sacris* voluminibus nomina indiderint „ (PL, XXII, 623). Praeterea in *Praef.* ad hunc librum dicit: " Synodus Nicaena in numero sanctarum scripturarum legitur computasse „. S. Augustinus († 430) *Iudith* in suo canone recenset (*De Doctr. Christ.*, II 8; PL, XXXIV, 41),

4[6] *Sapientia* — Inter libros deuterocanonicos V. T. Sapientia frequentius in Patrum scriptis citatur. Ceteroquin, quamvis apud S. Paulum explicite non citetur, ipse tamen, ut supra diximus, pluries ad eam alludit. Iam ergo Patres Apostolici Apostorum vestigia sectantes hoc libro, qui sua indole ad Christianam doctrinam tam proxime accedit frequenter usi sunt. In *Doctrina duodecim Apostolorum* (c. 100) bis videtur esse allusio ad librum *Sapientiae:* V, 2 ad Sap. XII, 7; X, 3 ad Sap. I, 14. In *Epist. Barnabae* (96/8) VI, 7 ad Sap. II, 12; XX, 2 ad Sap. V, 12. S. Clemens Rom. († 101)

in 1 *Epist. ad Cor.* ter ad Sapientiam alludit: III, 4 ad Sap. II, 24; VII, 5 ad Sap. XII, 10; XXVII, 5 ad Sap. XI, 22; XII, 12. Pastor Hermae (155), *Mand.* I, 1 forsitan recolit Sap. I, 14. In Ps.-Clementis *1 Epist. De Virginitate* (150?) bis ad *Sapientiam* videtur referri posse V, 2 ad Sap. IV, 2; IX, 1 ad Sap. IV, 1. Ps.-Ignatii *Epist. ad Ephesios* (II saec.) XI, 2 alludit ad Sap. VIII, 18; et in *Martyrio Rom. S. Ignatii* VII, 8 ad Sap. VII, 18. Tatianus (c. 165), *Adv. Graec. oratio,* 7 applicat Christo quae in Sap. II, 23 de Deo dicta sunt (PG, VI, 819-822). In *Frag. Muratoriano* ll. 69-71 (II saec.) dicitur: " Et *Sapientia* ab amicis Salomonis in honorem ipsius scripta „ (*Ench. Bibl.*, n. 6) [1]. S. Irenaeus († 202) non citat explicite *Sapientiam*, eius tamen verba usurpat, *Adv. Haer.* IV, XXXVIII, 3 = Sap. VI, 20 (PG, VII, 1107) [2]. S. Clemens Alex. († 217) pluries *Sapientia* utitur et novies eam explicite infert vel ut *Salomonis* (Cf. *Stromata*, VI, 11; PG, IX,313; Ib. VI, 14; PG, IX, 332; Ib. VI, 15; PG, IX, 344...) vel ut dictum *Veritatis* ἀλήθεια (Ib. VI, 11, PG, IX, 313), aut *Sapientiae* σοφία (Cf. *Paed.*, II, 1; PG, VII, 338), aut ut *Divinam Sapientiam* ἡ θεία Σοφία (*Stromata*, IV, 16; PG, VIII, 1309), vel tandem cum simplici formula εἴρηται (*Stromata*, VI, 14; PG, IX, 337). Tertullianus († 222), *Adv. Valent.*, 2, citat Sap. I, 1 addens " ut docet ipsa Sophia, non quidem Valentini, sed Salomonis „ (PL, II, 579); eodem libro et alibi utitur, ut in *De Praescr.*, VII (PL, II, 23)... S. Hippolytus († 235) *Demons. adv. Iudaeos*, IX et X citat *Sapientiam*, post formulas: λέγει γὰρ ὁ προφήτης: λέγει... ὁ Σολομών (PG, X, 793); in

[1] Hoc est primum testimonium contra authentiam libri *Sapientiae*, qui passim apud Patres *Salomoni* tribuitur. Cum textus originalis huius fragmenti graecus fuerit, plures post * Tregelles sub verbis " ab amicis „ graece ὑπὸ φίλων, vident nomen *Philonis Alexandrini* cui aliquando hic liber attributus fuit. Hanc sententiam memorat etiam *S. Hieronymus (Praef. in libr. Salom.). Frag. Murat.* includit *Sapientiam* inter libros N. T.

[2] Ipse tamen explicite citabat *Sapientiam*, teste Eusebio Caes., *Hist. Eccl.*, V, 8, (PG, XX, 449) et V, 26 (PG, XX, 509) in operere deperdito Βιβλίον διαλέξεων διαφόρων.

Cant. Canticorum inter libros Salomonis enumerat Sapientiam (PG, X, 629). Origenes († 254) circa quadragies *Sapientiam* citat; ea utitur ut librum *canonicum*, quod evidenter constat ex Lib. I *De Principiis*, II, 5-13 (PG, XI, 133-145), ubi in Sap. VII, 25 s., Col. I, 15 et Hebr. I, 3 suam doctrinam Christologicam fundat. Videtur tamen de eius Salomonica authentia dubitare, communiter enim eam citat, ut " Sapientia, quae dicitur Salomonis „ (*De Princ.*, I, II, 5; PG, XI, 133; Ibid. IV, 33; PG, XI, 407; *Contra Celsum* V, 29, PG, XI, 1225; *In Ier.*, Hom. VIII, 1; PG, XIII, 337; *In Ioan.*, XX, 4; PG, XIV, 581). S. Cyprianus († 258) saepe *Sapientiam* allegat ut opus Salomonis (*Test.* II, 14; III 16, 53, 58, 59, 66; PL, IV, 708, 743, 760, 763, 769), ut Scripturam divinam (*De habitu Virg.*, 10; PL, IV, 448; Ep. LXXI, *ad Sergium etc.*, 2; PL, IV, 425; cf. Ep. LXII, *ad Pomponium*, 1; PL, IV, 365), ut Scripturam sanctam (*Ad Demetr.*, 24; PL, IV, 562), vel post formulam: *scriptum est* (*De Zelo et Livore*, 4; PL, IV, 641) vel per *Salomonem docet Spiritus Sanctus* (*De Mortalit.*, 23; PL. IV, 598; *ad Fortun.*, 12; PL, IV, 673). In *Actis Disputationis S. Archelai cum Manete*, 29 (PG, X, 1474) S. Archelaus († c. 280) inducit Sap. I, 13, quod recipit etiam Manes. S. Methodius († 311), *Conv. Decem Virg.*, I, 3 (PG, XVIII, 43) scribit: " In libro autem *Sapientiae*, quo omnis virtutis traduntur documenta, palam iam et sine ambage auditores ad continentiam et castitatem attrahens Spiritus Sanctus, talia modulatur... „ Sequitur citatio ex Sap. IV, 1-2. Et ibid., II, 3 et 7 (PG, XVIII, 51, 58) sub nomine *Scripturae* inducit Sap. III, 16 et XV, 10-11; atque passim verba ex libro Sapientiae refert nulla adhibita formula (II, 6, 7; IV, 5; VI, 5; VII, 1; XI, 1; PG, XVIII, 58, 94, 119, 123, 206). Eusebius Caes. († 340), *Praep. Evan.*, I, 9 (PG, XXI, 70) ut θεῖον λόγιον citat Sap. XIV, 12. S. Hilarius († 367), *Tract. in Ps.* CXVIII, II, 8 (PL, IX, 514) citat Sap. XVII, 1 ut *prophetae*, sicut in *Ps. CXXXV*, 11 (PL, IX, 775); eam vero *Salomoni* tribuit in *Ps. CXXVII*, 9 (PL. IX, 708). S. Ephraem († 373), *Paraenesis* XLVII citat ut *Scriptura* Sap. XV, 12. Quandoque eam citat post formulam; *sicut scriptum est* (*Sermo in illud*: *At-*

tende tibi ipsi, c. VIII) saepius vero eam refert nulla adhibita formula introductoria. S. Basilius († 379), *Contra Eunom.*, V, saepe citat *Sapientiam* aequo modo sicut alios libros sacros, eamque Salomoni tribuit (PG, XXIX, 714, 715, 742, 751, 770). S. Cyrillus Hier. († 386), *Catech.*, IX, 2 (PG, XXXIII, 640) citat Sap. XIII, 5 sub nomine Salomonis. S. Optatus († c. 370), *De Schismate Donatist*, IV, 8 (PL, XI, 1040) citat Sap. III, 16; IV, 3 ut a *Salomone Propheta* scriptam. S. Ambrosius († 397), *De Spiritu Sancto*, III, c. 18 (PL, XVI, 840) inducit *Sapientiam* ut Scripturam. S. Epiphanius († 403), *Haer*,, XXVI, 15 (PG, XLI, 353) scribit: " Spiritus Sanctus... hoc modo vaticinatus est... „ et citat Sap. III, 14. S. Ioannes Chrysos. († 407), *Expos. in Ps.* CIX, 7 (PG, LV, 278) allegat Sap. XVI, 28 ut Scripturam. S. Hieronymus († 420), *Dial. contra Pelagianos*, I, 33 (PL, XXIII, 551) citat *Sapientiam* eodem modo ac Ecclesiastem. S. Augustinus († 430) innumeris locis utitur libro *Sapientiae*, quem Salomoni tribuit (e. gr. in *De Gen. contra Manich.*, II, c. 20; PL, XXXIV, 211); quoad eius canonicitatem celebris est locus libri *De Praed. Sanct.*, 14 (PL, XLIV, 980), qui ita sonat: " Non debuit repudiari sententia libri *Sapientiae*, qui meruit in Ecclesia Christi de gradu lectorum Ecclesiae Christi tam longa annositate recitari, et ab omnibus Christianis, ab episcopis usque ad extremos laicos fideles, poenitentes, catechumenos, cum veneratione divinae auctoritatis audiri „. S. Cyrillus Alex. († 444), *De Adoratione in Spir. et Verit.*, X citat Sap. I, 14 sub formula κατὰ τὸ γεγραμμένον (PG, LXVIII, 740).

5° *Ecclesiasticus*. Sapientia Iesu filii Sirach vix minori honore atqua aestimatione quam Sapientia Salomonis in primordiis Ecclesiae Christianae gavisa est. Iam scriptores N. T., Iacobus praecipue, hoc libro utuntur. Apud Patres Apostolicos non desunt allusiones, immo et citationes ex libro Ecclesiastici. Sic probabiliter in *Doctrina duodecim Apostolorum* (c. 100) bis alluditur ad Siracidem, scilicet, c. I, 2, ad Eccli. VII, 30; X, 3 ad Eccli. XVIII, I; XXIV, 8. S. Clemens Rom. († 101), in *I ad Cor.* LIX, 3 ad Eccli. XVI, 18 s.; LX, 1 ad Eccli. II, 11 respicere videntur. In utraque epistula Ps.-Cle-

MENTIS, *De Verginitate* (c. 150) sunt vestigia libri Ecclesiastici; compara I, X, 4 cum Eccli. III, 2; XI, 5 cum Eccli. V, 14; II, V, 1 cum Eccli. XXI, 2; X, 3 cum Eccli. IX, 20; XIII, 2 cum Eccli. IX, 8, 9, 12; XIII, 3 cum Eccli. IX, 4 s. S. IGNATIUS († 107) in *Ep. ad Hermonem*, VI, 2 utitur Eccli. XIX, 4. S. HEGESIPPUS (c. 180) sub nomine Πανάρετος Σοφία (apud EUSEBIUM, *Hist. Eccl.*, IV, 22; PG, XX, 384) intelligere videtur Ecclesiasticum, sicut etiam S. IRENAEUS († 202) apud EUSEBIUM (*ibid.*). S. CLEMENS ALEX. († 217) saepissime utitur libro Ecclesiastici, eumque expresse citat sub formulis: ἡ γραφὴ λέγει vel φησίν (*Paed.* I, 8; PG, VIII, 332 etc...) seu ἡ σοφία λέγει, φησίν (Paed. I, 8; PG, VIII, 333 etc...). Bis librum nostrum vocat σοφία Ἰησοῦ (Stromata, I, 4, 10; PG, VIII, 717, 744). TERTULLIANUS († 222) utitur libro Ecclesiastici (Cf. *Adv. Marc.*, I, 16; PL, II, 290 et *De Monog.*, XIV; II, 1000). ORIGENES († 254) adhuc frequentius magistro suo Clemente allegat Ecclesiasticum; plusquam septuagies hic liber in eius scriptis occurrit. In eius operibus, quae in latina versione ad nos pervenerunt, Origenes Salomoni tribuit Ecclesiasticum (e. gr. Hom. XI *in Iosue*, 2; PG, XII, 844); sed tamen alibi expresse eum tribuit Iesu filio Sirach, Hom. XVIII, *in Numeris*, 3 (PG, XII, 714), dicit: " In libro qui apud nos quidem inter Salomonis, volumina haberi solet et Ecclesiasticus dici, apud Graecos vero Sapientia Iesu filii Sirach appellatur... „ Et clarius *Contra Celsum*, VI, 7: " Sed nos etiam e sacris Scripturis planum facimus auctorem nobis esse divinum sermonem, ut operam dialecticae demus. Modo enim Salomon ait: *Scientia sine inquisitione decipetur;* modo *Iesus Sirachi filius,* qui librum Sapientiam inscriptum conscripsit: *Scientia stulti, sermones inextricabiles* „ (PG, XI, 1298). Quoad eius canonicitatem nullum adest dubium cum ipse saepe verba Ecclesiastici ut Scripturam inducat, ut in Lib. II *De Princ.*, VIII (PG, XI, 222), dicit: " Boreas autem ventus in Scripturis Sanctis frigidus designatur, sicut scriptum est in Sapienti: *Frigidus ventus Boreas* (Eccli. XLIII, 22). „ S. CYPRIANUS († 258) saepe infert Ecclesiasticum ut Salomonis (*Testim.*, II, 1; PL, IV, 696 etpassim in Lib. III.), ut Scripturam divinam (*De Mortal.*, IX;

PL, IV, 588). S. Dionysius Alex. († 264) *De Natura,* III (PG, X, 1257) citat Eccli. XVI, 26, 27 post verba : Ἀλλὰ θείων λογίων ἐπακούσατε. S. Methodius († 311), *Conviv. Decem Virg.*, I, 3 (PG, XVIII, 41) inducit Ecclesiasticum ut textum propheticum. S. Hilarius († 367), *Tract. in Ps.* LXVI, 9 (PL, IX, 441), citat Eccli. I, 16 ut opus Salomonis, statim post Isaiam XI, 3. S. Ephraem († 373) pluries citat Ecclesiasticum, ut Scripturam (cf. *De Patientia*, initio), ut dictum Prophetae (*Paraenesis* XXX) vel Sapientiae (*Paraenesis* XXVI). S. Basilius († 379), Hom. VI *in Hexaemeron*, citat Eccli. XXVII, 12 post formulam κατὰ τὸ εἰρημένον.. S. Cyrillus Hier. († 386) in sua *Catechesi* pluries videtur verba Ecclesiastici inducere (II, 15 ; VII, 16 ; IX, 6 ; XI, 19 ; XIII, 8, 35 ; XVIII, 20 ; XXIII, 17 ; PG, XXXIII, 404, 420, 621, 644, 716, 784, 813 s., 1041, 1121). S. Optatus (c. 370) inducit Eccli. XXIX, 15 ut Salomonis eodem modo sicut Dan. IV, 24 (De *Schism. Donatist.*, III, 3 ; PL, XI, 1006) S. Ambrosius († 397) habet Ecclesiasticum ut Scripturam (*De Bono Mortis*, c. 8 ; PL, XIV, 584). S. Epiphanius († 403) similiter citat Eccli. VII, 1 ut Scripturam (*Haer.* XXIV, 6 ; PG, XLI, 316). S. Ioan. Chrysos. († 407) refert Eccli. IV, 1 ut textum propheticum (*in Concione de Lazaro* II, 4 ; PG, XLVIII, 988). S. Hieronymus († 240) contra Pelagium allegat Ecclesiasticum : " respondet stultae interrogationi tuae liber Sapientiae „ aequo modo sicut Ecclesiastem (*Dial. contra Pelag.*, I, 33 ; PL, XXIII, 550 s.). Ipse tamen expresse negat authentiam Salomonicam. " Cui [Oniae] successit Simon, quo regente populum, Iesus filius Sirach scripsit librum qui graece παναρετός appellatur, et plerisque Salomonis falso dicitur „ (*Comm. in Dan.* c. IX ; PL, XXV, 545). S. Augustinus († 430) saepissime adhibet Ecclesiasticum ut Scripturam, ita in *De Gen. ad Litt.*, XI, 15 (PL, XXXIV, 436), *Quaes. in Hept.*, I, c. 168 ; 172 (PL, XXXIV, 594 s.) etc. S. Cyrillus Alex. († 444) citat Ecclesiasticum sub formula γέγραπται (*De Ador. in Spir. et Verit.*, I ; PG, LXVIII, 197).

6° *1 Machabaeorum.* Iam supra vidimus (§ 14, a, 6°) textum huius libri originalem, testibus Origene atque Hieronymo, hebraicum fuisse, quod satis probat eius usum apud Iudaeos. Apud Christianos

similiter a primis temporibus 1 Machabaeorum receptus fuit. Prima allusio ad nostrum librum invenitur in fine *Epistulae* Ps.-Ignatii *ad Philippenses* XV, 3=1 Mach. III, 6. Tertullianus († 222), *Adv. Iudaeos*, IV (PL, II, 645) scribit: " Nec dubium est opus servile eos [Iudaeos die Sabbati] operatos, cum praedas belli agerent ex Dei praecepto. Nam et temporibus Machabaeorum Sabbatis pugnando fortiter fecerunt, et hostes allophylos expugnaverunt, legemque paternam ad pristinum vitae statum pugnando Sabbatis revocarunt „. In isto loco Tertullianus alludit ad 1 Mach. II, 41 ss., et cum in sua demonstratione plures alios locos citet ex libris canonicis, non immerito deducitur ipsum nostro libro ut canonico uti. S. Hippolytus († 235), *De Christo et Antichristo*, 49 (PG, X, 769) utitur 1 Mach. I, 58 et in *Fragmentis in Danielem*, 31 s. (PG, X, 662) citat 1 Mach. II, 33. Origenes († 254), *Comm. in Ep. ad Rom.*, VIII, 1 (PG, XIV, 1158) citat 1 Mach. II, 24 eodem modo sicut alia scripta canonica: " Et sicut Mathatias, de quo in primo libro Machabaeorum, scriptum est, *quia zelatus est in lege Dei, et intremuerunt renes eius, et ascendit furor eius secundum iudicium.* „ Cf. *Contra Celsum*, VIII, 46 (PG, XI, 1585). S. Cyrianus († 258) utitur sicut Scriptura 1 Mach., quem inducit sub formula: *in Machabaeis* (cf. *Testim.*, III, 15,53... PL, IV, 743, 761). S. Hieronymus († 420) 1 Machabaeorum librum ut Scripturam laudat, in *Comm. in Isaiam*, Lib. V, c. 23 (PL, XXIV, 207) ubi alludit ad 1 Mach. I, 1. S. Augustinus († 430) de utroque Machabaeorum libro haec scribit: " Ab hoc tempore [sc. Esdrae] apud Iudaeos restituto Templo, non reges, sed principes fuerint usque ad Aristobolum: quorum supputatio temporum non in Scripturis sanctis, quae canonicae appellantur, sed in aliis invenitur, in quibus sunt et Machabaeorum libri, quos non Iudaei, sed Ecclesia pro canonicis habet... „ (*De Civ. Dei*, XVII, 36; PL, XLI, 596).

7° *2 Machabaeorum*. Usus huius libri in Ecclesia Christiana incipit cum *Epistula ad Hebraeos*. Pastor Hermae (155) pluries ad 2 Mach. alludere videtur, sic in *Mand.* I, 1=2 Mach. VII, 28 (cf. *Vis.* I, 3, 4 et *Mand.* XII, 4,2=2 Mach. VII, 23; *Sim.* VI, 3,6=2

Mach. XII, 6). S. Clemens Alex. († 217) in *Strom.* V, c. 14 scribit: " Ab Aristobolo autem qui fuit tempore Ptolomaei Philadelphi, cuius meminit is qui composuit epitomen rerum gestarum a Machabaeis [2 Mach. I, 10] multi fuerunt libri conscripti... „ (PG, IX, 145). S. Hippolytus († 235), *De Christo et Antichristo*, 49 (PG, X, 769) utitur 2 Mach. VI, 7. Origenes († 254), *De Princ.*, II, 1, 5 (PG, XI, 186) scribit: " Ut autem etiam ex scripturarum auctoritate haec ita se habere credamus, audi quomodo in Machabaeorum libris, ubi mater septem martyrum unum ex filiis cohortatur ad toleranda tormenta, de hoc dogmate confirmatur... „ sequitur citatio 2 Mach. VII, 28. Eundem librum citat in *De Orat.*, 11 (PG, XI, 448 s.) et praecipue in *Exhortatione ad Martyrium,* cc. 23-27 ubi pluries ut Scripturam refert 2 Mach. (PG, XI, 592-596). Item *Comm. in Ioan.* I, 18; XIII, 57 (PG, XIV, 53,509), in *Cant. Cantic.* III (PG, XIII, 160). *Comm. in Ep. ad Rom.*, IV, 10 (PG, XIV, 999), *Contra Celsum* VIII, 46 (PG, XI, 1585). S. Cyprianus († 258) saepe citat in *Testimoniis* sub formula: *in Machabaeis* librum nostrum (cf. III, 4, 17; PL, IV, 734 s., 745 s.). Cf. etiam *Ep. ad Fort.*, 11 (PL, IV, 669). S. Ephraem († 373), *Oratio de Morte*, dicit: " Imitare Machabaeorum matrem, quae quamvis septem filios morte delendos vidisset, non tamen lacrimis ac luctui sese tradidit, neque vocem emisit muliebrem: sed Deo egit gratias, quod illos igne, ferro, aliisque molestissimos vinculorum suppliciis ab ac carne dissolvisset... „ Cf. 2 Mach. VII. S. Hieronymus († 420) facta in 2 Mach. VI, 27; VII, narrata eodem modo refert ac illa in libris protocanonicis contenta (*Comm. in Ep. ad Gal.*, Lib. II, c. 3; PL, XXVI, 388). S. Augustinus († 430) 2 Mach. ut canonicum habet, ut iam diximus, eoque pluries utitur (Cf. *De Gen. ad Litt.*, X, c. 8; PL, XXXIV 414; *Contra Gaud.*, I, c. 28; PL, XLIII, 725).

8° *Partes deuterocanonicae libri Danielis.*

α) *Oratio Azariae et Hymnus Trium Puerorum* (Vg. 24-90). Haec pars, ut supra diximus, originarie pertinebat ad textum protocanonicum, quia v. 91 lacunam supponit si post v. 23 statim legatur. Praeterea eius canonicitas evincitur ex frequenti Patrum usu. Iam

Clemens Rom. († 101) 1 *ad Cor.* XLV, 6-7 loquendo de Anania, Azaria et Misael forsitan etiam partem Danielis deuterocanonicam prae oculis habebat, ad quam ceteroquin alludere videtur in c. LIX, 3 (cf. Dan. III, 31 [Vg. III, 35]). S. Iustinus († 167), *I Apol.*, 46 (PG, VI, 398), loquitur de Abraham, Anania, Azaria, Misael et Elia qui cum ratione vixerunt, etiamsi athei exsistimati sint; quo alludere videtur ad partem deuterocanonicam Dan. III. S. Clemens Alex. († 217) (?), *Ex Scripturis Propheticis Eclogae*, c. I (PG, IX, 698 s.) ita exorditur: " Qui Sidrach, Misach, Abdenago, in camino ignis Deum laudantibus astiterunt, dixisse eos asserunt *Benedicite coeli Dominum; laudate et superexaltate illum in saecula.* Dein: *Benedicite Angeli Dominum.* Porro: *Benedicite aquae et omnia quae super coelos sunt Dominum.* [Dan. III, 58, 59, 60]. Sic nimirum de potestatibus puris Scripturae sacrosanctae interpretantur coelos ac aquas, sicut et in Genesi [I, 7] liquido constat... „ et postquam citaverit Dan. III, 61, 62, 63, 90 concludit: " In Daniele haec scripta reperias, dum pueri tres in camino Deum suum celebrant „. Item in *Strom.* I, 21 (PG, VIII, 852) clare alluditur ad Dan. III, 49. Tertullianus († 222), *Adv. Hermogenem*, XLIV (PL, II, 261) alludit ad Canticum Trium Puerorum. S. Hippolytus († 235) librum Danielis commentatus est, hodieque habentur fragmenta operis eius ex quibus probatur ipsum admisisse etiam partes Danielis deuterocanonicas (Cf. pro Cantico Trium puerorum PG, X, 678; 699). Origenes († 254) in *Ep. ad Africanum* (PG, XI, 50 s.) scribit: " In ipso Daniele, ubi de camino ardente, illud: *compedibus vincti* [Dan. III, 24], invenimus; sed in nostris exemplaribus, praeter ea quae in Hebraicis sunt, abundant versus non pauci, quorum initium, secundum quaedam quae in Ecclesiis circumferuntur exemplaria, sic habebat... „ Sequuntur variae exemplarium lectiones circa Orationem Azariae et Canticum Trium Puerorum. S. Cyprianus († 258) in *Testim.*, III, 20 (PL, IV, 748), inter sacros textus citat Dan. III, 37, 42. In libro *De Lapsis*, c. XXXI (PL, IV, 490) ut Scripturam divinam allegat Dan. III, 25; in *De Oratione Dom.*, c. VII (PL, IV, 524), citat Dan. III, 51 posc verba; *Quod declarat Scripturae divinae fides.* Cf. etiam Ep. LVI, *De Exhor. Martyr.*, 5 (PL, IV, 353).

S. Ephraem († 373), *In S. Danielem Proph. et in SS. Tres pueros,* videtur alludere etiam ad partem deuterocanonicam. S. Cyrillus Hier. († 386), *Catech.*, XVI, 31 (PG, XXXIII, 961) historiam Susannae narrat ac Danieli tribuit. S. Gregorius Naz. († 390), *Oratio* XXXVI, 3 (PG, XXXVI, 269) tribuit Dan. XIII, 5 ipso Danieli. S. Ambrosius († 397), *Hexaemeron*, II, 4 (PL, XIV, 164) ut propheticum hymnum citat Dan. III, 56. S. Epiphanius († 403), *Ancoratus*, 23-25 (PG, XLIII, 60 s.) pluries adhibet ut Scripturam partem deuterocanonicam Dan. III. S. Hieronymus († 420) in Ep. CXXX, *ad Demetria Virg.*, 10 (PL, XXII, 1116) alludit ad Dan. III. S. Augustinus († 430), Sermo CCCXLIII, *De Susanna...*, 5 (PL, XXXIX, 1506) Dan. III resumit.

β) *Historia Susannae* (Vg. XIII). Probabile est quod Susannae historia, separatum librum primo constituebat, postea vero ut prologum ad librum Danielis apposita est. In versione enim Theodotionis, qua utitur Ecclesia, et secundum testimonia S. Hippolyti, Iulii Africani atque Origenis haec pars initio librí Danielis inveniebatur. In Ps.-Clementis 2 *Ep. De Virginitate*, XIII, 1, (150?) breviter resumiter historia Susannae et cum aliis biblicis narrationibus recensetur. In Ps.-Ignatii *Epist ad Magnesianos* III, 2, legimus: " Denique Daniel sapientissimus, duodecim annorum effectus, Spiritu Sancto repletus est et illos seniores canitiem vanam habentes, calumniatores et alienae pulchritudinis appetitores esse manifestavit „. Item in *Ep. Mariae Cassobolitae ad Ignatium*, III, 1 alluditur ad Historiam Susannae. S. Irenaeus († 202), *Haer.*, IV, 26, 3 (PG, VII, 1054) scribit: " Et audient eas quae sunt a Daniele propheta voces: Semen Chanaan, et non Iuda species seduxit te, et concupiscentia evertit cor tuum... „ Dan. XIII, 20, 56, 52, 53. Tertullianus († 222) citat exemplum Susannae (Dan. XIII, 8) ut Scripturam (*De Corona*, IV; PL, II, 100). S. Hippolytus († 235), commentatus est historiam Susannae (PG, X, 689-698). Origenes († 254) defendit contra Iulium Africanum canonicitatem huius historiae (PG, XI, 27-86), ubi inter aliae haec habet: " His exemplis arbitror me ostendisse nihil repugnare quominus haec historia contigerit, et quae libidinose simul et

crudeliter adversus Susannam perpetrarunt seniores qui tunc erant, ea quidem providente Spiritu scripta sint, sed postmodum a principibus Sodomorum, ut dixerit idem Spiritus [Is. I, 10], clam sublata „ (PG, XI, 71) et " Susannae historia per totam Christi Ecclesiam circumfertur „ (*Ib.* 50). Similiter in Lib. X *Stromatum* (PG, XI, 101-104) explicat Dan. XIII, quod Scripturam nominat, sicut et alibi passim. S. Cyprianus († 258) in *Testimoniis*, III, c. 20 inter alios scripturae locos citat Dan. XIII, 1-3. Et in Epist. XL, sub formula: *Scriptum est*, allegat Dan. XIII, 6 (PL, IV, 337). S. Methodius († 311) inter alia biblica exempla allegat etiam historiam Susannae (*Conc. Decem Virg.*, XI, 2; PG, XVIII, 212). S. Hilarius († 367) ut locum scripturisticum adhibet Dan. XIII, 56 (*Tract. in Ps. LII*, 19; PL, IX, 336). S. Ephraem († 373) utitur historia Susannae (*De abstinendo* a *cupiditatibus carnalibus...*) S. Basilius († 379), Hom. XII, *In Principium Prov.*, 13 (PG, XXXI, 414), citat historiam Susannae quam tribuit Danieli. S. Cyrillus Hier. († 386) *Catech.* II, 16 (PG, XXXIII, 403) utitur Dan. III, 27-29,50; et ibid. passim (cf. PG, XXXIII, 421, 460, 639). S. Ambrosius († 397), *De Spiritu Sancto*, III, c. VI (PL, XVI, 818) ut Scripturam narrat Susannae historiam. S. Epiphanius († 403). *Ancoratus*, 25 (PG. XLIII, 62) dicit: " Daniel Spiritu Sancto repletus exclamavit... „ sequitur XIII, 46. S. Hieronymus († 420), *Comm. in Isaiam*, VII, c. 24 (PL, XXIV, 287) inducit Dan. XIII, 56 (cf. *Comm. in Nahum*, c. III; PL, XXV, 1263). S. Augustinus († 430), Sermo CCCXLIII, *De Susanna et Ioseph* (PL, XXXIX, 1505-1509), explicat historiam Susannae ut Scripturam: " Si de femina tanta Scriptura testis est... „ (n. 5).

γ) *Historia destructionis Bel et Draconis* (Vg. XIV). S. Irenaeus († 202), *Haer.*, IV, 5, 2 (PG, VII, 984) scribit: " Et Daniel propheta, cum dixisset ei Cyrus rex Persarum: *Quare non adoras Bel?* annuntiavit, dicens: *Quoniam non colo idola manufacta, sed vivum Deum, qui constituit coelum et terram, et habet omnis carnis dominationem.* Iterum dixit: *Dominum Deum meum adorabo, quoniam hic est Deus vivus* „ (Dan. XIV, 3, 4, 24).

Tertullianus († 222), *De Ieiuniis*, c. VII (PL, II, 1014) alludit ad Dan. XIV, similiter in *De Idololatria*, XVIII (PL, I, 765). S. Clemens Alex. († 217) in *Strom.* I, 21 (PG, VIII, 852 s.) breviter resumit Dan. XIV, 22-42. Origenes († 254) in sua *Epist. ad Iulium Africanum* (PG, XI, 50) inter partes quae in textu hebraico desiderantur, et tamen in Ecclesia Christi recipiunt memorat etiam historiam de Belo et de Dracone. Item in *Stromat.*, X (PG, XI, 105) Dan. XIV aperte Scripturam vocat. S. Cyprianus († 258), in *Ep. ad Fortunatum*, c. XI (PL, IV, 667) scribit: " Et Daniel, Deo devotus et Sancto Spiritu plenus, exclamat et dicit... „ sequitur Dan. XIV, 4. Cf. etiam *De Oratione Dom.* XXI (PL. IV, 534); Epist. LVI, *De Exhort. Martyr.*, 5 (PL, IV, 354). S. Cyrillus Hier. († 386), *Catech.*, XIV, 25 (PG, XXXIII, 857) citat Dan. XIV, 35. S. Augustinus († 430), *De Gen. ad Litt.*, III, c. 15 (PL, XXXIV, 289) alludit ad Dan. XIV, 38.

9° *Partes deuterocanonicae libri Esther* (Vg. X, 4-XVI, 24). Mirum est quod in partibus protocanonicis libri Esther nihil religiosi, immo nec nomen Dei, invenitur; dum vero in partibus deuterocanonicis habetur somnium mysteriosum, orationes etc... Huius anomaliae probabilem rationem attulit De Rossi. Cum festum *Purim*, quo *Megilla* Esther legitur, factum sit festum profanum, saturnalibus Romanorum non absimile, Iudaei abstulerunt quidquid religiosi in isto libro continebatur, ne sacra profanarentur. Patres ergo posthabitis praeiudiciis iudaicis, libri Esther partes sive protocanonicas sive deuterocanonicas acceptarunt eisque aequo modo usi sunt. Sic iam S. Clemens Rom. († 101) in *I Ep. ad Cor.*, LV, 6, scribit: " Non minori periculo etiam perfecta in fide Esther, ut duodecim tribus Israel ab instanti exitio liberaret, se ipsam obiecit. Nam cum ieiunio et humiliatione precata est rerum omnium inspectorem Dominum, saeculorum Deum; qui animi eius humilitatem cernens populum liberavit, cuius gratia illa periculum subierat „. S. Clemens Alex. († 217) in I *Stromatum*, 21 (PG, VIII, 852), loquitur de Esther et Mardochaeo, " cuius habetur liber „. In hoc autem libro et partes deuteocanonicas fuisse constat ex IV *Stromatum*, 19 (PG,

VIII, 1327-1330); " Perfecta illa in fide Esther, Israelem a tyrannica potestate liberans, et a crudelitate satrapae, sola mulier afflicta ieiuniis, restitit armatis copiis innumerabilibus, tyrannicum per fidem solvens decretum. Et tyrannum quidem mitigavit, Aman vero repressit, et Israelem perfecta ad Deum oratione illaesum conservavit. „ Notanda est dependentia Clementis Alexandrini ab homonymo Romano. Origenes († 254) in *Ep. ad Africanum*, 4 (PG, XI, 54) inter partes quae desunt apud Hebraeos, et tamen in Ecclesia Christi ut canonicae habentur, sequentes recenset: " In libro Esther, neque Mardochaei, neque Esther preces quae legentem aedificare possunt, apud Hebraeos habentur: neque etiam epistula Aman ad eversionem gentis Iudaeorum scripta, nec altera Mardochaei, ex Artaxerxis nomine, gentem a morte liberans. „ Item in libello: *De Oratione*, 13 (PG, XI, 454): " Iam uno edicto insidiisque Aman periturus erat populus, cum Mardochaei et Esther oratio ieiunio coniuncta exaudita est et praeter festa a Moyse constituta, Mardochaeus populo peperit laetitiae diem. „ In *Select. in Psalmos*, Hom. V, 5 (PG, XII, 1363) inter alios sacrae Scripturae textus, citatur Esther XIV, 11. S. Basilius († 379), *Adv. Eunomium*, II, 19 (PG, XXIX, 612) arguit ex Esther XIV, 11 sicut ex aliis Scripturis. S. Hieronymus († 420), in Ep. CXXX, *ad Demetriadem Virg.*, 4 (PL, XXII, 1109), utitur Esther XIV, 16. Item *in Comm. in Osee*, II, c. 8 (PL, XXV, 882) *in Ezech.* VIII, c. 27 (PL, XXV, 264) et *in Epist. ad Gal.*, I, c. 1 (PL, XXVI, 343) citat Esther XIV, 11. S. Augustinus († 430), *De gratia Christi et de peccato Originali*, XII, 24 (PL, XLIV, 373) ad Esther XV, 11 alludit.

Ex his variis Patrum testimoniis sufficienter patet quinque prioribus Ecclesiae saeculis libros deuterocanonicos V. T. fuisse in singulis particularibus Ecclesiis lectitatos, apud Patres saepius adhibitos ut Scripturam, ex quibus aequo modo sicuti ex libris protocanonicis arguebatur sive ad doctrinam revelatam illustrandam, sive ad haereticos redarguendos. Hocque a pluribus conceditur Pro-

testantibus (1). Insuper ex allatis testimoniis, quae nullo modo sunt completa, evidenter patet plures esse Patres, qui, quamvis elenchum a se admissum ss. librorum scripto non tradiderint, tamen in operibus suis omnes libros deuterocanonicos adhibuerunt. Pro aliis vero qui non omnibus sed quibusdam tantum deuterocanonicis usi sunt, recolatur oportet id quod iam supra diximus, videlicet argumentum *ex silentio* non habere valorem, nisi Patres explicite deuterocanonicos eiciant.

Praeterea librorum deuterocanonicorum usus in primis Ecclesiae saeculis probatur etiam ex eorum praesentia in Antiquis Versionibus non solum Alexandrina (2), sed etiam in Vetere Latina (3), aliisque qui a graeca versione fluxerunt.

Habentur etiam quidam ss. librorum catalogi qui completum exhibent canonem, ac propterea in quaestione nostra non sunt minoris momenti.

α) *Canon Africanus* (4), in ms. aliquo saec. X inventus, secundum aliquam notam in eo contentam, a. 359 esse apparet, quod confirmatur ex absentia *Epist. ad Hebr.*, admissa in Concilio Carthaginensi a. 397 celebrato. Hic canon continet libros tum V. tum N. Testamenti ac post singulorum nomina addit numerum versuum ipsorum. Explicite recenset *1 et 2 Mach.*, *Tobiam*, *Hester*, *Iudith*; et cum taceat Lamentationes signum est quod sub nomine Ieremiae includit Lamentationes, *Baruch et Epistulam*; similiter Salomoni

(1) Cf. e. gr. * Schürer E., in recentione operis * Daubney W. H., *The use of the Apocrypha in the Christian Church*, London 1900, in *Theol. Literaturzeitung*, XXV (1900), 556 s.

(2) Antiquiora Mss. versionis Alexandrinae, ut *Codex Vaticanus* et *Sinaiticus* (saec. IV), *Alexandrinus* (saec. V) continent Ecclesiasticum, Sapientiam, Tobiam et Iudith; *Sinaiticus* habet etiam 1 et 2 Mach., et *Alexandrinus* 1-4 Mach. In Ieremia Baruch cum Epistula, partes deuterocanonicae in libris Daniel et Esther contenta invenuntur. * Swete, *op. cit.*, p. 201 s., 224.

(3) Cf. * Hody, *op. cit.*, p. 652, col. 67. * Swete, *op. cit.*, 223 s.

(4) Hic canon a. 1885 a * Mommsen, *Cheltenham* in Anglia, in collectione Philipps, n. 12,266 inventus, editus est in *Hermes. Zeitschr. für klassische Philologie*, XXI (1886), 144-146.

nullo expresso librorum nomine tribuit 6,500 versus, quod evidenter includit cum Proverbiis, Eccle. et Cantico etiam *Sapientiam* et *Ecclum* (1). Sic ergo in Canone Africano habentur omnes libri deuterocanonici V. T.

β) S. Augustinus, in *II, De Doctrina Christiana*, c. VIII (PL, XXIV, 41) a. 397 conscripto, recenset *totum canonem Scripturarum*, in quo veniunt " Tobias, et Esther, et Iudith, et Machabaeorum libri duo.., illi duo libri, unus qui Sapientia, et alius qui Ecclesiasticus inscribitur, [qui] de quadam similitudine Salomonis esse dicuntur: nam Iesus Sirach eos conscripsisse constantissime perhibetur, quí tamen quoniam in auctoritatem recipi meruerunt» inter propheticos numerandi sunt „. Augustinus sicut *Canon Africanus* tacet Lamentationes, Baruch et Epistulam, quia ea sub nomine Ieremiae comprehendit.

γ) *Canon Claramontanus* (2) repertus in Coenobio Claramontado, apud Bellovacos (Clermont-lez-Beauvais, Oise), continetur in codice aliquo saec. VI, hodie in Bibliotheca Nationali Parisiensi, n. 107, asservato, inter Epistulam ad Philem. et Epist. ad Hebr.; elenchus tamen est anterior fine saec. III. Canon iste stichometricus continet elenchum librorum V. et N. Testamenti et explicite memorat omnes libros deuterocanonicos V. T. [3]Baruch et Epistula sub nomine Ieremiae comprehenduntur (3).

Tandem deuterocanonicorum usus probatur ex figuris arte musiva, pictoria vel sculptoria expressis, in antiquis coemeteriis inventis, quae exibent facta in libris deuterocanonicis enarrata (4).

(1) Cf. * Turner C. H., *The Old Testament Stichometry*, in *Studia Biblica*, III, Oxford 1891, p. 306. Vigouroux, *op. cit.*, col. 151 s.

(2) Hic canon editus est a Cotelier a. 1672, cf. eiusdem *Patres Apostolici*, ed. * I. Leclerc, I, Amsterdam 1724, p. 8.

(3) Vigouroux, *op. cit.*, col. 147.

(4) Cf. Vigouroux, *op. cit.*, col. 155-160. Julius A., *Die griechischen Danielzusätze und ihre kanonische Geltung*, in *Bibl. Stud.*, VI, 3-4, Freiburg 1901, 59 ss., 133 ss. Leclercq, *Manuel d'Archeologie Chrétienne*, I, Paris 1907, p. 543, 564, 568 s. Grossi-Gondi S. I., *I monumenti cristiani iconografici ed architettonici dei sei primi secoli*, Roma 1923, 12 ss.

Sic ergo usque ad finem saec. IV usus librorum deuterocanonicorum V. T. in Ecclesiis et scriptis Patrum diversarum regionum sufficienter probatur: circa hoc tempus enim incipiunt Concilia integrum canonem V. T. recensere, atque ideo usus deuterocanonicorum frequentior evadit.

27. Argumenta contra canonicitatem librorum deuterocanonicorum. Primus inter Christianos, qui canonem ss. librorum V. T. incompletum tradidit, fuit S. Melito, episcopus Sardensis. Hic canon, ab opere Melitonis deperdito excerptus, nobis ab Eusebio Caes., in sua *Hist. Eccl.*, IV, 26 (PG, XX, 395-398) servatus est. En verbis ipsis Melitonis, qui c. a. 175 scribebat, origo atque ratio huius canonis: " Onesimo fratri salutem. Cum pro amore ac studio tuo erga verbum Dei, saepius a me postulaveris, ut excerpta quaedam ex Lege et Prophetis, quae ad Servatorem, et ad universam fidem nostram pertinent, tibi componerem; cumque libros Veteris Testamenti accurate cognoscere concupiveris, quot numero et quo ordine sint conscripti, id perficere omni studio laboravi scio quippe quanto fidei ardore, et quanta discendi cupiditate flagres; teque praecipue ob amorem Dei ista omnibus rebus anteferre, pro comperto habeo, et aeternae salutis obtinendae causa decertare. Ego igitur cum in Orientem profectus essem, et ad locum ipsum pervenissem, in quo haec et praedicata et gesta olim fuerunt, Veteris Testamenti libros diligenter didici, eorumque indicem infra subiectum ad te misi. Est autem eiusmodi: Mosis libri quinque, Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium; Iesus Nave; Iudices; Ruth; Regnorum libri quatuor; Paralipomenon duo; Psalmi Davidis; Salomonis Proverbia; quae et Sapientia, Ecclesiastes, Canticum canticorum; Iob; Prophetarum, Isaiae, Ieremiae et duodecim prophetarum liber unus; Daniel; Ezechiel; Esdras. Ex his igitur excerpta collegi, quae in sex libros a me distributa sunt „.

Melito ergo viginti septem enumerat V. T. libros et praeter

deuterocanonicos tacet etiam librum Esther (1); Lamentationes enim in libro Ieremiae comprehensas supponere licet.

Protestantes, ut par est, urgent hoc testimonium veluti veterrimum de primitivae Ecclesiae fide documentum. Catholici vero varias afferunt rationes atque explicationes. Quidam (2) credunt Melitonem in Palaestinam profectum esse ad investigandum quosnam libros Iudaei in suum canonem recepissent; pro Christianis enim nulla in Asia Minori difficultas exsistebat. Alii (3) vero Melitonem in canone suo recensuisse libros illos, qui communi consensu, a Iudaeis simul et a Christianis acceptabantur. Quidquid est de mente Melitonis hoc videtur esse certum, quod exclusio librorum deuterocanonicorum sub fine saec. I in Concilio Iamniensi a Iudaeis decretata, turbare iam coeperat Christianorum fidem in libros illos; ac proinde etiamsi S. Melito Iudaeos hac in re secutus sit, nihil ex hoc contra librorum deuterocanonicorum canonicitatem deduci potest, cum particularis aliquis Ecclesiae Scriptor errare possit.

Origenes, qui, ut supra vidimus, omnibus libris deuterocanonicis usus est, alius est coryphaeus pro thesi protestantica reiciente libros deuterocanonicos (4). Immerito tamen. Nam Origenes in elencho ss. librorum, qui apud Eusebium, *Hist. Eccl.*, VI, 25 (PG, XX, 579-582) habetur, ex intentione dat elenchum protocanonicorum tantummodo, quia traditionem refert Hebraeorum ὡς Ἑβραῖοι παραδιδόασιν... καθ' Ἑβραίους.

S. Hilarius († 367), *Prol. in librum Psalmorum*, n. 15 (PL,

(1) Liber Esther, etiam quoad partes protocanonicas, in aliis quoque documentis omissus fuit, ut mox videbitur. Immerito ergo scribit cl. Vigouroux, *op. cit.*, col. 149: " Elle [epistula Melitonis] contient tous les livres protocanoniques, à l'exception d'Esther, qui est omis, par mégarde sans doute. „

(2) Cf. Cornely, *op. cit.*, p. 84 s. — Vigouroux, *op. cit.*, col. 149.

(3) Cf. Ruwet I., *op. cit.*, p. 27.

(4) Ita inter alios * Wildeboer G., contra quem scripsit P. Van Kasteren I. P., S. I., *L'Ancien Testament d'Origène*, in *Revue Biblique*, X (1900), pp. 413-423; * Von Harnack A., contra quem vide Merk A., S. I., *Origenes und der Kanon des A. T.*, in *Biblica*, VI (1925), pp. 200-205.

XIX, 241) viginti duo libros V. T. recenset. Ipse tamen non videtur referre nisi canonem secundum Iudaeos iisdem verbis Origenis. Hoc iam notaverat S. Hieronymus, cum scriberet: " Hilarius... confecit... et in Psalmos Commentarios,... in quo opere imitatus Origenem, nonnulla etiam de suo addidit „ (*De Viris Ill.*, 100; PL, XXIII, 738). Ceteroquin hoc et ipsi Protestantes admittunt (1). Neque sequitur Hilarium solos protocanonicos admisisse, cum in iisdem Commentariis pluries deuterocanonicos laudat eisque utitur ut Scriptura, prophetia etc. (2).

S. Athanasius († 373) in *Epist. Fest.* XXXIX (PG, XXVI, 1175 et 1436), primus (3) videtur esse, qui libros distribuerit in tres classes; scilicet: Primo sunt libri quos vocat divinas litteras τὰς θείας Γραφάς; vel Scripturas a Deo inspiratas: τῇ θεοπνευστῷ Γραφῇ ets. Huiusmodi sunt viginti duo libri protocanonici, inter quos est " Ieremias et cum ipso *Baruch*, Lamentationes, *Epistula* „ et *Daniel* sine ulla determinatione, sed excluditur *Esther*. Secundam classem vocat " alios libros praeter istos, non in canonem quidem redactos οὐ κανονιζόμενα μέν, sed quod a Patribus decretum est, legendos ab iis esse qui nuper ediscendi pietatis verbi gratia accesserint: *Sapientia Salomonis et Sapientia Sirach*, *Esther*, *Iudith*, *Tobias*, *Doctrina*, ut vocant, *Apostolorum*, et *Pastor*. „ Tertia classis comprahendit alios libros " qui apocryphi vocantur τοῖς λεγομένοις ἀποκρύφοις nominum similitudine decepti, qua cum veris libris conveniunt. „ Et paulo inferius: " Ii sunt haereticorum commentum, qui arbitratu suo libros conscribunt quibus assignant tempora, ut ea quam ipsis ascribunt antiquitatis specie, occasionem captent simpliciores fallendi. „

(1) Cf. e. gr. * Westcott, *loc. cit.*, p. 574, n. 1: " Haec ex Origene transtulit Hilarius cuius verba in uno saltem loco parum intellexit, Hebraicum τῶν παραλειπομένον titulum caeteris omissis Latine interpretando. Idem tamen corruptum Origenis textum libro duodecim prophetarum addito supplevit. „

(2) Cf. Vigouroux, *loc. cit.*, col. 153-154.

(3) Communiter auctores tenent hanc triplicem divisionem fuisse Origeni penitus incognitam; Cf. * Zahn I., *Geschichte des N. T. Kanons*, Erlangen 1888, I, 134; Van Kasteren, *loc. cit.*, p. 415.

Consuetudo permittendi seu commendandi catechumenis ac neophytis lectionem librorum piorum quidem sed non canonicorum iam invenitur in *Frag. Muratoriano:* " Pastorem vero nuperrime temporibus nostris in urbe Roma Hermas conscripsit sedente cathedra urbis Romae ecclesiae Pio episcopo fratre eius; et ideo legi eum quidem oportet, se publicare vero in Ecclesia populo neque inter prophetas completo numero, neque inter Apostolos in fine temporum potest „ (ll. 73-80; *Ench. Bibl.*, n. 6 s.). Decursu temporis in horum librorum censum ingrediuntur et libri deuterocanonici. Origenes, Hom. XXVII *in Numeris*, n. 1 (PG, XII, 780) distinguit libros facilioris et difficilioris intellegentae et inter priores numerat Esther Iudith, Tobiam et mandata Sapientiae qui tamen pro ipso sunt " divina volumina. „ S. Athanasius collocat hos libros medios inter libros canonicos et libros apocryphos: *in praxi* tamen, ut supra vidimus, pluries eis utitur aequo modo sicut libris protocanonicis.

S. Athanasio falso ascribitur *Synopsis S. Scripturae* (1) cuius initio haec habentur: " Omnis nostrum Christianorum Scripturam, divinitus inspirata est, librosque habet non indefinitos, sed definitos, ac certo canone comprehensos. Et Veteris quidem Testamenti hi sunt: Genesis... Exodus... Leviticus... Numeri... Deuteronomium... Iesus filius Nave... Iudices... Ruth... Regum primus et secundus... Regum tertius et quartus... Paralipomenon primus et secundus... Esdras primus et secundus... Psalterium Davidicum... Parabolae Salomonis... Ecclesiastes... Canticum Canticorum... Iob... Duodecim Prophetae... Isaias... Ieremias... Ezechiel... Daniel, cuius exordium est: " *Et erat vir habitans in Babylone, et nomen ille Ioakim, et accepit uxorem, nomine Susannam...* „.

" Sunt itaque canonici Veteris Testamenti libri numero viginti

(1) Haec *Synopsis* inter opera S. Athanasii in PG, XXVIII, 283-438 invenitur. De ea haec habet cl. P. Cornely, *op. cit.*, p. 53: " Antiquitus S. Athanasio adscribi solita haud dubie in Ecclesia Alexandrina non diu post S. Athanasii aetatem conscripta est. „ Alii tamen eam ponunt ad finem saec. V, cf. Rouët de Journel S. I., *Ench. Patristicum*, [2] Friburgi Brisg., p. XX et 685.

duo, litteris hebraicis numero pares. Totidem enim apud illos sunt elementa.

" Praeter istos autem sunt adhuc alii eiusdem Veteris Testamenti libri non canonici οὐ κανονιζόμενα μέν, qui catechumenis tantum leguntur. Scilicet: Sapientia Salomonis... Sapientia Iesu Filii Sirach... Esther... Iudith... Tobit... Tot sunt libri Veteris Testamenti non canonici τὰ μὴ κανονιζόμενα. Quidam vero ex veteribus, apud Hebraeos pro canonicis reputari dixerunt, librum Esther; et historiam Ruth cum historiis Iudicum uno libro comprehendi et annumerari: Esther vero pro alio libro computari: atque ita rursus numerum viginti duo canonicorum librorum, apud illos compleri volunt. „ (PG, XXVIII, 283-290).

In descriptione autem singolorum librorum haec sunt notanda: Sub nomine Ieremiae includit Lamentationes, *Baruch* atque *Epistulam* (PG, XXVIII, 365); in libro Danielis comprehendit tres partes deuterocanonicas, scilicet: *historiam* [*Susannae*, *hymnus trium puerorum* et *historiam destructionis Bel* [*et Draconis*] (*ibid.*). Dat etiam synopsim libri Esther cum partibus deuterocanonicis (PG, XXVIII, 368 s.), Iudith (*ibid.*, 369-372), Tobit (*ibid.*, 372 s.), Sapientiae (*ibid.*, 373-376), Ecclesiastici (*ibid.*, 376-384).

Auctor Synopsis evidenter sequitur versionem Alexandrinam, quod evincitur praecipue ex dispositione partium deuterocanonicorum tum in libro Danielis, tum in libro Esther. Ipse ut canonicas habet non solum partes deuterocanonicas Danielis sed etiam *Baruch* et *Epistula Ieremiae*. De *Machabaeorum* libris altum servat silentium. Tandem alios quattuor deuterocanonicos in canonem non recepit sed affirmat usum horum librorum pro catechumenis.

S. Amphilochius († c. 380), *Iambi ad Saleucum*, vv. 251-288 (PG, XXXVII, 1593-1595 inter opera S. Gregorii Naz.) quattuor librorum species distinguit; sunt libri quos nomine venerando Scripturae Γραφῆς decorat, sunt et alii falsis nominibus inscripti ψευδώνυμοι βίβλοι, nonnulli intermedii ἔμμεσοι ac vicini veritatis doctrinae, tandem sunt alii spurii νόθοι et magnopere pericolosi. Libros Scripturae, quos etiam " divino afflatos Spiritu „ τῶν θεοπνεύστων vocat,

dividit in Vetus et Novum Testamentum. Libri V. T. sunt solum protocanonici et quoad Esther notat: " His addunt Esther nonnulli. „ De aliis vero tacet.

S. Cyrillus Hier. († 386) in sua *Catechesi*, IV, 33-36 (PG, XXXIII, 494 s.), scribit: " Studiose quoque, et ab Ecclesia disce, quinam sint Veteris Testamenti libri, qui vero Novi: neque mihi quidquam apocryphorum legas. Qui enim ea quae ab omnibus agnita et confessa sunt nescis, quid circa dubia et controversa infelix operam perdis? „ His verbis evidenter Episcopus Hierosolymitanus duas librorum categorias distinguit: ab Ecclesia acceptos atque apocryphos, quarum priores *agnitos et confessos*, posteriores *dubios et controversos* appellat. Enumerans libros V. T. ab Ecclesia acceptos recenset protocanonicos cum Esther et Ieremiam cum *Baruch*. Videtur insuper subdividere libros apocryphos: in libros *dubios et controversos* et in *certe* apocryphos. Postquam enim enumeraverit quattuor Evangelia, subiungit: " Scripserunt et Manichaei secundum Thomam Evangelium, quod Evangelicae appellationis fragrantia coloratum, simpliciorum animas corrumpit. „ Talis enim liber est *apocryphus*, ut supponitur; minime vero *dubius ac controversus*. In suo elencho, ergo, S. Cyrillus videtur *certiorem* viam catechumenis indicare voluisse, non vero excludere libros *dubios et controversos*. Et hoc evidenter probatur ex eo quod ipse non raro in sua *Catechesi*, ut supra monstravimus, pluries libros deuterocanonicos laudat.

S. Gregorius Naz. († 391), *Carmina*, Lib. I, Sect. I, carm. XII (PG, XXXVII, 472-474) distinguit libros Divinarum Litterarum θείοις λογίοσιν et libros peregrinos ξείνῃσι βίβλοισι. Priores pro Vetere Testamento sunt viginti duo protocanonici, excluso Esther. Et concludit: " Si quid est extra hunc numerum, non est ex germanis Scripturis. „

Iam supra vidimus S. Basilium ac S. Gregorium Nyssenum, coaevos S. Gregorii Naz., omnes deuterocanonicos libros ut sacros habuisse; immo et ipse Gregorius Naz., quandoque eis utitur. Quod si revera ipse deuterocanonicos reiecit " ignoscendus est error, cum

haec scriberet Gregorius, quo tempore nondum quidquam certe ea de re fuerat definitum „ (1).

In *Constitutionibus* sic dictis *Apostolicis* (c. a. 400) bis recensetur canon librorum V. T. Prius in ipsis *Constitutionibus*, II, 57 (PG, I, 726 s.) ubi haec habentur: " Medius autem lector, in quodam loco excelso stans, legat libros Moysis et Iesu filii Navis, Iudicum et Regnorum, item Paralipomenon et quae de populi reditu conscripta sunt [Esdrae]; ad haec Iobi et Salomonis volumina, simulque sexdecim prophetarum. Peractis per binos lectionibus, quidam alius Davidis hymnos psallat et populus extrema versus succinat. „

Finis scriptoris principalis est liturgicus, atque ideo concisis verbis libros sacros, a lectoribus bene cognitos, recenset. Hinc tacet Ruth, qui licet sub nomine Iudicum comprehendere, Lamentationes, Baruch eum Epistula sub Ieremia, qui ipse est inter *sexdecim prophetas*. Inter *volumina Salomonis* forsitan comprehenduntur Sapientia et Ecclesiasticus. Nulla tamen fit mentio Esther, Tobiae, Iudith, et Machabaeorum.

Alter ss. librorum elenchus habetur in *Canónibus Apostolorum*, qui *Constitutionibus* quandoque adnexi inveniuntur. In Can. LXXXV (al. LXXXVI) dicitur: " Sint nobis omnibus clericis et laicis libri venerandi et sancti Veteris quidem Testamenti Mosis quinque, Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium; Iesu filii Nave unus. Iudicum unus. Ruth unus. Regnorum quattuor. Paralipomenon, id est, derelictorum libri dierum, duo. Esdrae duo. Esther unus. [Iudith unus]. Machabaeorum tres. Iob unus. Psalterii unus [al. Psalmi centum quinquaginta]. Salomonis tres: Proverbia, Ecclesiastices, Canticum canticorum; Prophetarum duodecim. Isaiae unus. Ieremiae unus. Ezechielis unus. Danielis unus. Extra hos vobis insuper commemoratum sit, ut iuvenes discant Sapientiam eruditi Sirach „.

Quoad textum haec notat Hody: " Desunt *Maccab.* in Colle-

(1) Nota 39 in PG, XXXVI, c. 475.

ctione *Ioannis Antioch.* etsi in Lat. Versione nescio quo errore conspiciantur... *Iudith*, quem inseruit Cotelerius in sua Ed. fatetur ipse ab aliis Editionibus, et 7 Codd. Mss. Reg. Paris. abesse, et in uno tantum reperiri : *Zanaram* etiam expresse dicere *Iudith* in hoc Catalogo non contineri „ (1). Ablatis autem libris *Mach.* et *Iudith* hic elenchus est similis illi Concilii Laodiceni (2). Alii tamen hos libros in *Can. Apost.* retinent (3).

Praeterea Hody adiungit : " Confirmatur hic Canon una cum reliquis Apostolorum dictis a Concilio *Trullano*, Can. 2 sed eiiciuntur e Scripturae Canone *Constitutiones Clementis*, utpote ab Haereticis depravatae „ (4). Sed *Concilium in Trullo* a. 692 habitum (5) memorat quidem Canones Apostolorum et Concilium Laodicenum, sed non tradit librorum elenchum, immo memorat etiam Conc. Carthaginense (*Ench. Bibl.*, n. 11-14) in quo non solum libri protocanonici sed etiam deuterocanonici recipiuntur.

Canon Syriacus seu Syriaca Stichometria U. T. (circa a. 400) (6), ex deuterocanonicis recenset 1 et 2 Mach., Iudith, Sapientiam Salomonis, Sapientiam Sirach. Praeterea sub nomine Ieremiae videtur comprehendere Baruch, et in libro Danielis partes deuterocanonicas. Pro Esther vero numerus versuum (650) videtur excludere partes deuterocanonicas.

S. Epiphanius († 403) quater libros canonicos recensuit : bis in opere *Adv. Haer.*, Lib. I, Tom. I, Haer. VIII (PG, XLI, 213) et Libr. III, Tom. I, Haer. LXXVI (PG, XLII, 560 s.) ; et bis in libro *De Mens. et Pond.*, IV et XXIII (PG, XLIII, 244, 277-280).

(1) *Hody, *op. cit.*, p. 646, col. 27.

(2) Haec etiam est sententia cl. Vigouroux, *op. cit.*, col. 151 : " Le Canon 85 des Apôtres, qui contient un catalogue semblable [illi Conc. Laodiceni] est apocryphe [PG, CXXXVII, 211]. Il doit dater de la seconde moitié du IV^e^ siècle. „

(3) Ita *Westcott, *op. cit.*, p. 542 ; Rouët de Journel, *Ench. Patr.*, n. 1239.

(4) *Hody, *ibid.* Cf. etiam *Westcott, *ibid.*

(5) Apud Mansi, XI, 939.

(6) Ed. a *Smith Lewis A., *Catalogue of the Syriac mss. in the convent of S. Cathrine on mount Sinai*, in *Studia Sinaitica*, I, London 1894. Camerlynck, *op. cit.*, § 30 (p. 75* s.).

In primo loco (Haer. VIII) enumerat libros protocanonicos includens *Baruch* sub nomine Ieremiae et concludit, αὗται εἰσιν αἱ εἰκοσιεπτὰ βίβλοι, αἱ ἐκ θεοῦ δοθεῖσαι τοῖς Ἰουδαίοις. Et statim subiungit: " Sunt et alii duo libri, quos illi pro dubiis habent, nimirum Sirachi et Salomonis Sapientia, praeter alios quosdam apocryphos. „

In secundo loco (Haer. LXXVI) contra Aetium scribit: " Si a Spiritu Sancto genitus esses, atque a prophetis apostolisque edoctus, facere te illud opertebat, ut, sacris omnibus codicibus pervolutis, a Genesi ad Estheris tempora, qui sunt septem et viginti libri V. T., et XXII numerantur..., Sapientiae quoque libris, hoc est Salomonis, filii Sirach, omnibus denique Scripturae libris percursis, temetipsum damnares... „.

Tertio, *De Mens. et Pond.*, IV, legitur: " Habent enim [Hebraei] XXII litteras, e quibus quinque duplicantur: Caph, Men, Nun, Phi, καὶ τὸ α [apud PG, *Aleph*, lege tamen Sade]. Qua ratione cum XXII libri numerentur, septem ac viginti reperiuntur, quod ex illis quinque geminentur „. Huiusmodi libri sunt: Iudicum et Ruth; duo Paralipomenon; 1^{us} et 2^{us} cum 3^{0} et 4^{0} Regum (cf. enumerationem in Haer. VIII). His positis dividit libros V. T. in quinque Moysis; quinque poëticis: Iob, Psalterium, Proverbia, Ecclesiastes, Canticum. " Deinde tertius πεντάτευχος scriptorum quae vocantur Γραφεῖα, secundum alios vero dicuntur Ἁγιόγραφα „: Iosue, Iudicum cum Ruth, Paralipomenon, Regnorum 1^{us} et 2^{us} et Regnorum 3^{us} et 4^{us}. Alius πεντάτευχος: duodecim prophetae, Isaias, Ieremias, Ezechiel, Daniel. Remanent duo Esdras atque Esther. Et concludit: " Ita duo et viginti libri pro litterarum Hebraicarum numero censentur. Quod enim ad duos illos attinet, qui versibus distincti sunt, Salomonis videlicet Sapientiam, quae Πανάρετος inscribitur, et Iesu filii Sirach librum, Iesu nepotis, qui Sapientiae librum hebraice scripsit, quem nepos eius Iesus graece reddidit; tametsi utiles ac fructuosi illi sint, in Scripturarum numerum nequaquam referri solent. Unde nec in Testamenti Arca collocati sunt „. Et post pauca: " Igitur septem et viginti illi libri, qui viginti duo numerantur, cum Psalterio, ac ceteris, qui Ieremiae accensentur, hoc est Lamentationibus et Epi-

stulis Baruchi, quamvis apud Hebraeos Epistulae istae non reperiantur, sed Lamentationes dumtaxat ad Ieremiae prophetiam attextae... Quibus viginti duo addendi sunt apocryphi „.

Tandem *ibid.* XXII s., dicit: "... Unde et XXII sunt apud Hebraeos litterae ; secundum quas perinde XXII libros numerant, licet XXVII proprie sint. Verum quoniam quinque apud illos litterae duplicantur, fiuntque quodammodo XXVII, quae in XXII contrahuntur, ideo XXVII quoque libros in XXII conferunt. „ Sequitur enumeratio librorum titulis hebraicis ac graecis.

Ex his variis S. Epiphanii textibus licet concludere ipsum enumerasse libros secundum canonem Hebraeorum et ut pluries dicit a Genesi ad Esther. His tamen non obstantibus, ipse explicite inter eos comprehendit Baruch, immo et Sapientiam et Ecclesiasticum inter libros Scripturae numerat (Haer. LXXVI), et aliis deuterocanonicis etiam est usus. Unde si in libro *De Mens. et Pond.*, IV dicat Sapientiam et Ecclesiasticum in Scripturarum numerum nequaquam referri solere, subaudi iuxta Hebraeos ; atque cum addat: " quibus viginti duo addendi sunt apocryphi, „ nisi ipse dicatur revera deuterocanonicos ut sacros habuisse, ad summum affirmare possumus S. Epiphanium in dubium deuterocanonicos revocasse, numquam tamen reiecisse.

S. Ioannes Chrysos. († 407) frequenter utitur libris deuterocanonicis ut Eccli., Sapientia, Baruch, Tobia, partibus deuterocanonicis Danielis (1) ; sub eius nomine tamen habetur *Synopsis V. et N. Testamenti* (PG, LVI, 313-386), in qua alius est canon, qui in prologo recensetur, et alius in decursu operis (2). Utrunque separatim recensemus :

α) In prologo (PG, LVI, 313-317) libri V. T. in tres dividuntur categorias :

(1) Cf. Baur C., *Der Kanon des h. Iohan. Chrysos.*, in *Theol. Quartalsch.*, CV (1924), 258-277.

(2) De ista *Synopsi* notat P. Ruwet, *op. cit.*, p. 31, n. 3: " Ex ipsa *Synopsi V. et N. Test.*, quae Chrysostomo tribui solet... et antiochenae originis esse videtur, nil certi erui potest, cum nec integra nec pura sit edita, et criticae trutinae sit adhuc subicienda. „

1° " Est itaque in Veteri Lege aliud historicum, ut Octateuchus: nempe Genesis..., Exodus..., Leviticus..., Numeri..., Deuteronomium..., Iesus filius Nave..., Iudices..., Ruth..., Regnorum libri quattuor..., Esdras... „ Ruth infra iterum memoratur, hic videtur poni quia ordinarie libro Iudicum adnexus erat. Non tamen bene videtur quomodo *novem* isti libri Octateuchum faciunt. Desunt Esther, Tobias, Iudith. Similiter tacentur libri Paralipomenon, probabiliter quia idem narrant quod in memoratis libris continetur. De libris Machabaeorum mentionem non facit, sed de eorum contentu loquitur: " Deinde Antiochi Epiphanis gesta sequuntur, quando tribus annis et dimidio obsessi, maleque affecti, a calamitatibus rursum erepti sunt. Post haec modico elapso tempore Christus advenit, et Vetus Testamentum desinit. „

2° " Veteris igitur Testamenti aliud quidem historicum est, hoc nempe quod iam recensuimus. Quae ad consilia moralia pertinent, sunt: Proverbia, Sapientia Sirach, Ecclesiastes, Cantica canticorum. „ Deest Sapientia.

3° " Propheticum vero sunt sexdecim Prophetae, Ruth et David. „ Forsitan Ruth inter prophetas memoratur, quia ex ea natus est Christus.

β) Decursu operis recensentur libri qui desunt in prologo excepto Baruch et Machabaeorum et non raro iisdem verbis alius Synopsis Ps.-Athanasii.

Rufinus († c. 410), in suo *Comm. in Symbolum Apost.*, 37 s. (PL, XXI, 373 s.) dat canonem librorum V. T. quos in tres categorias dividit: 1° sunt libri *canonici* scilicet protocanonici. 2° Alii libri sunt, qui non canonici sed *Ecclesiastici* a maioribus appellati sunt, id est, *Sapientia*, quae dicitur Salomonis, et alia *Sapientia*, quae dicitur filii *Syrach*, qui liber apud Latinos hoc ipso generali vocabulo *Ecclesiasticus* appellatur, quo vocabulo non auctor libelli, sed Scripturae qualitas cognominata est. Eiusdem vero ordinis libellus est *Tobiae* et *Iudith*, et *Machabaeorum* libri „ 3° " Caeteras vero Scripturas *apocryphas* nominarunt, quas in Ecclesiis legi noluerunt. „

S. Hieronymus († 420) usque ad annum 390 secutus est veterem latinam versionem, quae sicut Versio Alexandrina a qua fluxerat, omnes libros sive protocanonicos sive deuterocanonicos continebat: atque ideo omnes deuterocanonicos, ut supra vidimus, recepit. Inde tamen ab a. 390 quando novam versionem ex textu originali elaborare coepit veritatem hebraicam secutus est, ac libros deuterocanonicos cum Hebraeis reiecit.

Cl. P. Cornely haec de S. Hieronymo habet: " Trifariam porro textus, in quibus S. Doctor de libris V. T. deuterocanonicis diserte loquitur, distribui possunt et debent: in aliis enim illos a canone excludit; in aliis cum aliqua haesitatione illos allegat caute addens dubitationem quandam de illorum auctoritate; in aliis demum divinam auctoritatem et dignitatem illis attribuit illisque eodem prorsus modo, quo reliquis Scripturis, utitur „ (1).

S. Hieronymus, sicut ceteri Patres, admisit pro criterio canonicitatis ss. librorum Ecclesiae magisterium. " Duo igitur characteres, scribit P. Cornely, quibus iuxta S. Hieronymum canonici libri cum certitudine ab apocryphis vel profanis secernantur, sunt *continua* eorum *lectio liturgica* in ecclesiis et *universalis constansque* eorum usus in antiquorum Patrum operibus, dum ad singularem brevemque alicuius particularis ecclesiae consuetudinem attendendum non esse monet „ (2).

Hinc, ut iterum verba cl. P. Cornely adducamus, " praxis S. Doctoris eius theoriae contradicit „ (3); ac cl. P. Höpfl concludit: " Probabilissimum est S. Hieronymum libros deuterocanonicos e canone exclusisse, sed haec erat privata ipsius sententia, non doctrina Ecclesiae „ (4).

Theodorus Mopsuestenus († c. 428) plures ex sacris libris non solum deuterocanonicis sed et protocanonicis reiecit: ut Proverbia,

(1) Cornely, *op. cit.*, p. 115.

(2) *Ibid.*, p. 118.

(3) *Ibid.*, p. 116.

(4) Höpfl, *op. cit.*, p. 51 s. Multi de canone S. Hieronymi scripserunt, quos citatos invenies apud P. Höpfl, *loc. cit,*

Ecclesiastem, Iob, libros Paralipomenon, Esdrae et Nehemiae, Ruth et Cantici. Illos autem libros repudiavit non propter dubia vel Patrum testimonia eis contraria, sed propter criteria aut mere interna aut subiectiva. Merito ergo de eo scribit cl. P. Vosté: " Dans l'histoire du Canon il occupe donc une place isolée; du point de vue de la tradition ecclésiastique, son jugement n'est d'aucune valeur „ (1).

Ex hac expositione concludere licet plures Patres usque ad initium saec. V tradidisse canonem incompletum, rarissime vero reiecisse libros deuterocanonicos. Quando enim solos libros protocanonicos recensent, hoc fit vel quia canonem *secundum Hebraeos* dare intendunt, vel quia solum libros *certos* commendare intendunt, relictis *dubiis* vel *controversis*. Inter libros in canonibus incompletis recensitos saepe unus vel plures libri deuterocanonici inveniuntur. Tandem omnes, excluso Theodoro Mopsuesteno, profitentur se ita sentire quia ab aliis Patribus ita accepisse. Traditio ergo Ecclesiastica est criterium, quo libros canonicos ab apocryphis distinguere debemus. Iam supra vidimus (§ 26) ininterruptum usum librorum deterocanonicorum apud Patres dissitarum regionum ac diversorum temporum, remanet ergo ut Ecclesiae definitiones perpendantur.

28. Definitioues Ecclesiae circa canonem ss. librorum V. T. (2). Omnes Patres, non exclusis illis qui libros deuterocanonicos in canonem non receperunt, semper appellant ad magisterium Ecclesiae, quod in S. Scriptura Divinaque Traditione fundatur, ut criterium quo cognosci possunt libri canonici, ut longius supra (§ 3 β) probavimus. In S. Scriptura, ut pluries diximus, elenchus ss. librorum non habetur. Ex Patrum documentis vero, inde a Melitone Sardensi

(1) P. Vosté J., O. P., *L'oeuvre exégétique de Théodore de Mopsueste au IIe Concile de Constantinople*, studium quod mox publicabitur in *Revue Biblique*, mense Iulio currentis anni. Occasionem arripimus gratias dicendi cl. P. Vosté non solum pro laudato opere quod nobis ante publicationem tradidit, sed pro assiduis curis ac consiliis quibus nos adiuvat in hac quaestione intricata.

(2) Cf. *Enchiridion Biblicum*, auctoritate Pontificiae Commissionis de Re Biblica editum, Romae 1927, Index II, *De Canone*, p. 174 s.

incipit distinctio inter libros ab omnibus acceptis (protocanonicis, excluso Esther), et libros dubios vel disputatos (deuterocanonicos): immo quidam inspirationem ac canonicitatem horum librorum explicite negarunt. Momentosae sunt ergo in re tam gravi Ecclesiae definitiones.

Plures habentur definitiones sive Ecclesiae sive Summorum Pontificum circa ss. libros in canonem recipiendos, quos ordine chronologico recensere peropportunum ducimus.

S. Hieronymus (*Praef. in libr. Iudith*, PL, XXIX, 39) dicit Synodum Nicaenam, a. 325 celebratam, *in numerum ss. librorum computasse* librum Iudith, qui unus est ex deuterocanonicis. Plures auctoritate nixi Stridonensis videntur hoc supponere ut Cassiodorus (*De Instit. Div. Litt.* 14; PL, LXX, 1125), S. Thomas (1). Sed tamen nec textus synodi habetur in authenticis collectionibus, nec verba S. Hieronymi sunt ita clara ut cum certitudine affirmare possimus exsistentiam talis definitionis. (2).

Primum Concilium, quod ss. librorum canonem edidit est *Concilium Laodicenum*, c. a. 360 celebratum. Quidam de eius authenticitate dubitant (3), sed Commissio Pontificia de Re Biblica in suum *Enchiridion* (nn. 8-10) recepit. En tenor decreti huius Concilii pro V. T.:

Can. 59. " Quod non oportet privatas et vulgares aliquos psalmos dici in Ecclesia, nec libros non canonicos, sed solos canonicos Veteris et Novi Testamenti.

Can. 60. " Haec sunt quae legi oportet ex veteri testamento: 1. Genesis. 2. Exodus, id est, exitus ex Aegypto. 3. Leviticum. 4. Numeri. 5. Deuteronomium. 6. Iesus Nave. 7. Iudices, Ruth. 8. Hester. 9. Regnorum I et II. 10. Regnorum III et IV. 11. Paralipomenon I et II. 12. Esdrae I et II. 13. Liber Psalmorum 150.

(1) S. Thomas, in *Comm. in Epist. ad Hebraeos*, Prol., dicit: " Sciendum est quod ante *synodum Nicaenam*, quidam dubitaverunt an ista epistula esset Pauli „.

(2) Cf. Vigouroux, *op. cit.*, p. 151.

(3) Cf. *Ibid.* et auctores ibi citatos.

14. Proverbia Salomonis. 15. Ecclesiastes. 16. Cantica canticorum. 17. Iob. 18. Duodecim prophetae. 19. Esaias. 20. Ieremias et Baruch, lamentationes et epistolae. 21. Ezechiel. 22. Daniel. „

Notandum est: 1° Concilium libros non canonicos, ut par est reicere, nomina autem horum librorum non facit. 2° Canonem a Concilio datum comprehendere non solum libros protocanonicos sed etiam Baruch cum Epistula Ieremiae necnon partes deuterocanonicas Danielis et Esther quae in Bibliis graecis, tunc temporis in usu, continebantur. 3° Hinc concludi potest alios libros deuterocanonicos fuisse disputatos, at Concilium prudenter iudicavit sententiam suam pro illo momento circa hos libros non dare, sed nullo modo eos e canone reiecit. Ceteroquin hoc est unicum Concilium, quod incompletum canonem edidit, omnia alia Concilia, necnon Summorum Pontificum decreta omnes libros sive protocanonicos sive deuterocanonicos continent.

Sic tria celeberrima Concilia Africana, scilicet Hipponense, a. 393, Charthaginense III, a. 419, et Chartaginense a. 419 celebratum (*Ench. Bibl.*, n. 11-15).

In his conciliis idem canon repetitur, cuius hic est tenor: " [*Placuit*] ut praeter Scripturas canonicas nihil in Ecclesia legatur sub nomine divinarum Scripturarum. Sunt autem canonicae Scripturae: Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium, Iesu Nave, Iudicum, Ruth, Regnorum libri quatuor, Paralipomenon libri duo, Iob, Psalterium Davidicum, Salomonis libri quinque, Duodecim libri prophetarum, Esaias, Ieremias, Daniel, Ezechiel, Tobias, Iudith, Hester, Hesdrae libri duo, Machabaeorum libri duo „ (*En. Bibl.*, 11 cf. n. 14).

In isto canone omnes libri sive protocanonici sive deuterocanonici comprehenduntur: nam inter quinque Salomonis, ut pluries vidimus, veniunt Sapientia et Ecclesiasticus; sub nomine Ieremiae veniunt etiam Lamentationes, Baruch et Epistula, sub nomine Danielis et Hester veniunt etiam partes deuterocanonicae. Quod evidenter confirmatur ex contentu versionis latinae antiquae, quae haec omnia continebat, ibique in usu fuit.

Hic canon S. Bonifacio Papa I (418-422) ad confirmationem missus (*Ench. Bibl.*, n. 14) non obscure indicat fidem Ecclesiae initio saec. V. Quamvis autem non statim dubia circa libros deuterocanonicos cessaverint, tamen Ecclesia semper eandem definitionem iterum iterumque inculcavit atque contradicentes reprimere ac condemnare numquam desiit.

Hinc Innocentius I (401-417) in Epistula " Consulenti tibi „ ad Exsuperium Ep. Tolosanum, a. 405 data eosdem libros, a Conciliis Africanis receptos recenset, scilicet: " Moysi libri quinque, id est, Genesis, Exodi, Levitici, Numeri, Deuteronomii et Iesu Nave, Iudicum unus, Regnorum libri quatuor, simul et Ruth, Prophetarum libri sexdecim, Salomonis libri quinque, Psalterium. Item historiarum, Iob liber unus, Tobi liber unus, Esther unus, Iudith unus, Machabaeorum duo, Esdrae duo, Paralipomenon libri duo „ (*Ench. Bibl.*, n. 16).

Item S. Gelasius (492-496) in *Decreto* quod dicitur *Gelasii*, sed tribuitur etiam S. Damaso I (366-384) et S. Hormisdae (514-523) eosdem libros recenset, quos " universalis catholica Ecclesia „ tenere dicitur (*Ench. Bibl.*, n. 19).

Concilium Florentinum (1438-1445) in *Decreto pro Iacobitis* a. 1441, haec edixit: " Unum atque eumdem Deum Veteris et Novi Testamenti, hoc est Legis et Prophetarum atque Evangelii, profitetur auctorem, quoniam eodem Spiritu Sancto inspirante utriusque Testamenti Sancti locuti sunt, quorum libros suscipit et veneratur, qui titulis sequentibus continentur. Quinque Moysis, id est Genesi, Exodo, Levitico, Numeris, Deuteronomio; Iosue, Iudicum, Ruth, quatuor Regum, duobus Paralipomenon, Esdra, Nehemia, Tobia, Iudith, Hester, Iob, Psalmis David, Parabolis, Ecclesiaste, Canticis Canticorum, Sapientia, Ecclesiastico, Isaia, Ieremia, Baruch, Ezechiele, Daniele; duodecim prophetis minoribus, id est Osea, Ioele, Amos, Abdia, Iona, Michaea, Nahum, Habacuc, Sophonia, Aggaeo, Zacharia, Malachia, duobus Machabaeorum „ (*Ench. Bibl.*, n. 32).

In hoc decreto ss. libri recensentur eodem ordine ac in editione Sixto-Clementina Veteris Vulgatae latina inveniuntur: nullum

ergo esse potest dubium circa librorum extensionem, Lamentationes ergo sub nomine Ieremiae, et eiusdem Epistula in fine libri Baruch, sicut etiam partes deuterocanonicae Esther et Danielis in eorumdem libris inclusae inveniuntur.

29. Conclusio: Ecclesiae V. T. canon secundum sollemnem Concilii Tridentini definitionem. — Post Concilia Africana ineunte saec. V iam sententia Ecclesiae dici potest efformata, atque libri canonici fuerunt recepti non solum protocanonici sed etiam deuterocanonici. Non tamen evanuerunt omnino dubia apud unum vel alterum scriptorem circa canonicitatem librorum deuterocanonicorum praecipue propter auctoritatem S. Hieronymi vel alius cuiusdam scriptoris.

Ita Leontius Byzantinus († 543), *De Sectis*, Actio II, n. 1-4 (PG, LXXXVI, 1129-1204) sequitur Epiphanium et admitti 22 libros V. T. — Iunilius Africanus (c. 550), *De partibus divinae legis*, I, 3. (PL, LXVIII, 17-20) excludit libros Paralipomenon, Iob, Esdrae, Iudith, Esther, duos Mach. quia apud Hebraeos non recipiebantur ut canonici " sicut Hieronymus caeterique testantur. „ Quod tamen nonnisi in parte verum est! Et hoc quoad libros historicos. Similiter ex aliis alios excludit ita ut eius opinio sit omnino singularis. S. Gregorius Magnus († 604), *Moralia*, XIX, 21 (PL, LXXVI, 119) scribit citando 1 Mach. VI, 46: " De qua re non inordinate agemus, si ex libris licet non canonicis, sed tamen ad aedificationem Ecclesiae editis testimonium proferamus. „ S. Ioannes Damas. († 754), *De Fide Orthod.*, IV, c. 17 (PG, XCIV, 1177-1180) ab Epiphanio pendet et 22 libros V. T. admittit vel propter litteras duplices 27. Alcuinus (a. 800), *contra Elipandum*, I, 18 (PL, CI, 253 s.) scribit: " Dum tuae perversitati defecerunt in prophetis Dei testimonia errori tuo convenientia, finxisti tibi novum quemdam prophetam dixisse, „ sequitur citatio ex Eccli. XXXVI, 14 et prosequitur: " In libro Iesu filii Sirac haec praefata sententia legitur, quem librum beatus Hieronymus atque Isidorus [immerito ut mox dicetur] inter apocryphos, id est, dubias Scripturas, deputatum esse absque dubitatione testantur. „ Alibi tamen videtur Ecclesiasticum

ut canonicum habere. Nicephorus, Patriarcha Constantinop. († 829), *Chronographia* (PG, C, 1055-1058) enumerat 22 libros canonicos, inter quos est Baruch, sed excluditur Esther; inter dubia octo recenset: tres Mach., Sapientia, Ecclesiasticum, Psalmi et Cantica Salomonis, Esther, Iudith, Susanna, Tobias. Notkerus Balbulus († 912), *De Interpretibus div. Scrip.*, c. III (PL, CXXXI, 996 s.), de Sapientia scribit: " ab Hebraeis penitus respuitur et apud nostros quasi incertus habetur... id etiam de libro Iesu filii Sirac sentias oportet... In librum Tobiae et Esdrae Beda presbyter aliqua scripsit magis iucunda quam necessaria, quippe qui simplicem historiam vertere conatus est in allegoriam. De libro Iudith et Esther et Paralipomenon quid dicam, a quibus vel qualiter exponantur, cum etiam ipsa in eis littera non pro auctoritate, sed tantum pro memoria et admiratione habeatur? Idem de Libris Machabaeorum suspicari poteris. „ Rupertus Tuitiensis († 1135), in *Genesim* III, 21 scribit: " In eo duntaxat qui inscribitur liber Sapientiae, de illo sic scriptum est. Verum haec Scriptura neque de Canone est, neque de Canonica Scriptura sumpta est sententia haec „ (1). Hugo a S. Victore († 1141), *De Scripturis et Scriptoribus sacris*, c. VI (PL, CLXXV, 15) dicit: " Sunt praeterea alii quidam libri, ut Sapientia Salomonis, liber Iesu filii Sirach et liber Iudith et Tobias et libri Machabaeorum, qui leguntur quidem sed non scribuntur in canone. „ Petrus Cluniacensis († 1158) *contra Petrobrusianos* (PL, CLXXXIX, 751) enumeratis libris protocanonicis, addit: " Restant post hos authenticos S. Scripturae libros, Sapientia, Iesu filii Sirac, Tobiae, Iudith et uterque Machabaeorum liber. Qui etsi ad illam sublimem praecedentium dignitatem pervenire non potuerunt, propter tamen et per necessariam doctrinam ab Ecclesia suscipi meruerunt. „ Rodulphus flaviac. (an. 1170) *in Leviticum*, XIV, 1 (2) dicit: " Thobias, Iudith, et Machabaeorum, quamvis ad instructionem Ecclesiae legantur, perfectam tamen non habent auctoritatem. „ Ioannis Sarisberiensis († 1180), *Ep. 143 ad Hen. Comitem Cam-*

(1) Apud * Hody, *op. cit.*, p. 654. col. 77.
(2) *Ibid.*, p. 655, col. 81.

paniae (PL, CXCIX, 124 ss.) scribit: " Quia ergo de numero librorum diversos et multiplices Patrum lego sententiam, Catholicae Ecclesiae doctorem Hieronymum sequens, quem in construendo literae fundamento probatissimum habeo, sicut constat esse viginti duas literas Hebraeorum sic viginti duos libros V. T. in tribus distinctos ordinibus indubitanter credo. „ Hieronymi sententiam pariter secuti sunt Card. Hugo a S. Caro O. P. († 1263), Nicolàus Lyranus O. F. M. († 1340), S. Antoninus O. P. († 1459), Card. Thomas de Vio, Caietanus O. P. († 1534) et quidam alii.

Generaliter loquendo laudati auctores criterium canonicitatis, auctoritatem scilicet Ecclesiae, quae in Traditione fundatur, professi sunt, et Patres vel Scriptores, qui libris deuterocanonicis infensi erant, plusquam illos qui eos libros accipiebat secuti sunt. Non proterea tamen putandum est Ecclesiam fidem suam in deuterocanonicos minuisse, numerosiores enim sunt testes pro canonicitate deuterocanonicorum. Ita Cassiodorus († c. 570), *De Institutione Div. Litt.*, cc. I-XIV (PL, LXX, 1110-1123) licet cum Canone Augustini (c. 13) Veteris Latinae et Versionis Septuaginta (c. 14) addat etiam Canonem Hieronymi (c. 12) tamen ipse palam profitetur canonicitatem deuterocanonicorum. Sic loquendo de commentariis Bellatoris presbyteri (c. 6) in Tobiam, Esther, Iudith et Mach., subiungit: " His enim remediis lectoris animus introductus saluberrimam Scripturarum seriem provocatus excurrit. Sed eos, licet historici sint, et planissima relatione fundatur, tamen propter virtutes excellentissimas morum conscriptos esse cognoscite, ut patientiam, ut spem, ut charitatem, ut etiam feminis fortitudinem, ut pro Deo contemptam praesentis saeculi vitam, vel caetera quae illic virtutum genera, Domino praestante, floruerunt, nostris animis competenter infunderent. „ S. Isidorus Hisp. († 636) quater recenset libros V. T.: bis in *Etymologiarum*, VI, c. 1 et 2 (PL, LXXXII, 229-233). In cap. 1 enumeratis libris secundum canonem Hebraeorum addit: " Quartus est apud nos ordo Veteris Testamenti eorum librorum qui in canone Hebraico non sunt. Quorum primus Sapientiae liber est; secundus Ecclesiasticus; tertius Thobias; quartus Iudith; quintus et

sextus Machahaeorum, quos licet Iudaei inter apocrypha separent, Ecclesia tamen Christi inter divinos libros, et honorat et praedicat. „ In prologo operis: *In libros V. ac N. T. prooemia*, 7 (PL, LXXXIII, 157 s.) dicit: " Ex quibus quidem Tobiae, Iudith, et Machabaeorum Hebraei non recipiunt. Ecclesia tamen eosdem inter canonicas Scripturas enumerat. „ Tandem in Lib. I, *De Ecclesiasticis officiis*, XI, 4, 5 (PL, LXXXIII, 746) quadraginta quinque libros V. T. recenset, inter quod omnes deuterocanonici inveniuntur. *Concilium in Trullo*, a. 692 celebrato laudat Concilia praecedentia inter quae etiam Carthaginense. *Sacramentarium Gallicanum* (ante a. 1000) enumerat 44 libris V. T. inter quos sunt: " Libri mulierum Ruth, Sterh, et Iudith; Machabaeorum libri duo, Iob et Tobias libri singuli „ [1]. Eugenius III, Toletanus acceptat Ester, Sapientiam Iesu, Tobiam, Iudith, Machabaeorum; Ivo (a. 1092), Salomonis 5 [al. 3], Tobiam, Hester, Iudith, Machabaeorum [2]. S. Thomas Aquinas deuterocanonicos cum protocanonicis miscet et schematice more suo classificat [3].

Cum Ecclesia Catholica consentiunt etiam *Ecclesiae Schismaticae*. Sic ipse Photius († 891), *Syntagma Canonum*, III, integrum canonem recepit quem secuti sunt Zonaras (saec. XII) et Balsamo (initio saec. XIII), item Ebed Iesu († 1318) [4] ex Nestorianis Chal-

[1] *Ibid.*, col. 74.

[2] *Ibid.*, col. 75 s.

[3] S. Thomas, in sermone: *Hic est liber mandatorum Dei*, recenter invento atque edito a Salvatore F., *Due sermoni inediti di S. Tommaso d'Aquino*, Roma 1912, pp. 23-28. Cf. P. Synave P., O, P., *Le Canon scripturaire de Saint Thomas d'Aquin*, in *Revue Biblique*, *XXXIII* (1924), pp. 522-533.

[4] Apud Assemani I. S., *Bibliotheca Orientalis*, III, Pars I, p. 6-7. Tamen in isto canone inveniuntur et libri qui non sunt canonici.

daeis, Iacobus Edessenus ex Monophysitis Syris [1], Ecclesia *Aethiopica* [2], *Coptica* [3], *Armena* [4] et Russica [5].

Pseudo-Reformatores libros deuterocanonicos reiecerunt eosque hodie omnes Protestantes reiciunt. Ipse Lutherus in sua versione germanica S. Scripturae deuterocanonica ut apocrypha in fine relegavit.

Contra hos Concilium Tridentinum in Sess. IV, habita d. 4 Apr. 1546, *Decreto de Canonicis Scripturis* indicem ss. Librorum adscribendum censuit, " ne cui dubitatio suboriri possit, quinam sint, qui ab ipsa synodo suscipiuntur.

" Sunt vero infrascripti: *Testamenti Veteris:* Quinque Moysis, id est Genesis, Exodos, Leviticus, Numeri, Deuteronomium; Iosue, Iudicum, Ruth, quatuor Regum, duo Paralipomenon, Esdrae primus et secundus, qui dicitur Nehemias, Tobias, Iudith, Esther, Iob, Psalterium Davidicum centum quinquaginta psalmorum, Parabolae, Ecclesiastes, Canticum Canticorum, Sapientia, Ecclesiasticus, Isaias, Ieremias cum Baruch, Ezechiel, Daniel, duodecim prophetae minores, id est: Osea, Ioel, Amos, Abdias, Ionas, Michaeas, Nahum, Habacuc Sophonias, Aggaeus, Zacharias, Malachias; duo Machabaeorum, primus et secundus.

" ...Si quis autem libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia catholica legi consueverunt et in veteri

(1) *Ibid.*, II, 499.

(2) Cf. Chaine M., *Le canon des livres saints dans l'Église Éthiopienne*, in *Recherches de Science Religieuse*, V (1914), p. 22-23.

(3) Guidi Ign., *Il Canone biblico della Chiesa Copta*, in *Revue Biblique*, X (1901), p. 161-174.

(4) * Zahn Th., *Forschungen zur Geschichte des N. T. Kanons*, Leipzig 1893, p. 109 ss.

(5) Cf. Jugie M., *Histoire du canon de l'A. T. dans l'Église Grecque et l'Église Russe*, Paris 1904, p. 128-129. Jasek A., *Doctrina Russorum de Canone V. T.*, in *Slavorum Litt. Theol.*, II (1906), p. 123-138; III (1907), p. 264-273. Dombrowski A., *La doctrine de l'Église Russe et le Canon de l'A. T.*, in *Revue Biblique*, X (1901), p. 269-277.

vulgata latina editione habentur pro sacris et canonicis non susceperit. . anathema sit „ (*Ench. Bibl.*, n. 42, 43, 45).

Immo in ipsa *Sessione* discussa est quaestio, an inter libros protocanonicos et deuterocanonicos admitti debeat aliqua differentia vel discrimen quoad auctoritatis gradum prout apud plures Patres invenitur. Sed Concilium decrevit, ut omnes " pari pietatis affectu ac reverentia „ suscipiantur (1). Immerito ergo quidam ex catholicis hanc distinctionem iterum inducere conati sunt, ut Sixtus Senensis († 1569) (2), Bernardus Lamy († 1715) (3), Ioannis Iahn († 1816) (4) et recentius A. Loysi (5).

Ecclesia Graeca Schismatica, Catholicam Ecclesiam secuta est atque in Synodo Hier., a. 1672 celebrata, integrum canonem Tridentinum recepit, atque Cyrillum Lucaris, Patr. Constantinopolitanum († 1638), qui Protestantes secutus erat, damnavit (6).

Haec ergo quoad libros V. T. apud Christianos retinere oportet:

α) Apostoli eorumque discipuli, Patres Ecclesiae Graecae et priores Ecclesiae Latinae, qui versione Alexandrina integrum canonem complectente usi sunt, necnon versio vetus Latina quae a Graeca fluxit firmiter suadent libros deuterocanonicos ab Apostolis ac proinde ab ipso Christo approbatos fuisse, ac propterea ut sacros ac canonicos habendos esse. Veritas haec saltem usque ad saec. II nullo dubio passa est.

β) Reiectis deuterocanonicis a Iudaeis, in Oriente incipit distinctio inter libros protocanonicos vel qui ab omnibus recipiebantur, et deuterocanonicos seu dubios aut controversos. Immo apud

(1) *Conc. Trid.*, V, 10,5 et *Ench. Bibl.*, n. 42.

(2) Sixtus Sens., O. P., Bibliotheca Sancta, I, 44-45

(3) Lamy B., *Apparatus Biblicus* [6], Venetiis 1777, p. 375.

(4) * Jahn I., *Einleitung* [2], I, 140 ss.

(5) Loisy A., *Histoire du Canon de l'A. T.* Paris 1890, p. 112, 194-215.

(6) Cf. Kimmel E. I., *Libri symbolici Ecclesiae Orientalis*, Ienae 1843, p. 467.

quosdam Patres vel minor tribuitur deuterocanonicis auctoritas, vel etiam iidem libri reiciuntur.

γ) Saec. IV et V tria Concilia Africana recipiunt definitive libros deuterocanonicos, et dubia circa ipsos minui incipiunt quousque Concilium Tridentinum sollemniter integrum canonem definivit. Duo ergo licet distinguere Canones V. T. Christiano-Catholicum includentem deuterocanonicos, et Iudaeo-Protestanticum eosdem reicientem.

CAPUT II

FORMATIO CANONIS NOVI TESTAMENTI

30. Partitio quaestionis. — Christus doctrinam suam confirmabat ex sacris V. T. libris, non enim venerat solvere legem aut prophetas sed adimplere (Mt., V, 17). Haec tamen adimpletio novam continet doctrinam, scilicet *Evangelium* (1) quod primo oretenus a Christo et ab Apostolis est praedicatum, postea vero ex rerum natura necessarium erat talem doctrinam scripto tradere. En obiectum librorum N. T. Sed quinam sunt huiusmodi libri et quomodo canon N. T. efformatus est? En duplex quaestio, quam distinctis articulis exponere intendimus.

Art. I — SACRI LIBRI NOVI TESTAMENTI

31. Divisio atque ordo librorum N. T. — Libri N. T. non secus ac illi V. T. usque ad saec. XIII vario modo dispositi inveniuntur, ita ut S. Berger (2) plusquam quinquaginta varias dispositiones ss. librorum in mss. Vulgatae latinae notare potuisset. *Biblia*

(1) Significatio et evolutio huius vocis concisis verbis expressit cl. P. Lagrange, *L'Évangile de Jésus-Christ* [2], Paris 1928, p. 7: " Évangile signifie bonne nouvelle. Cette bonne nouvelle fut d'abord celle qu'a proclamée Jésus après le Baptiste: Le règne de Dieu est proche. Quand ses disciples eurent compris que cette bonne nouvelle était devenue une réalité par le fait même de Jésus, mort et resuscité pour le salut des hommes, la bonne nouvelle devint plus précise, ce fut la doctrine de Jésus et sur Jésus portée par les Apôtres et proposée à la foi des Juifs puis des Gentils. — C'est ainsi que s. Paul, qui peut-être employa ce mot le premier, prêcha l'évangile, c'est-à-dire le salut en Jésus [Rom. I, 9; 1 Cor. IX, 12; 2 Cor. IX, 13 etc.], pour ses fidèles, par la vertu de sa Passion „.

(2) * Berger S., *Histoire de la Vulgate durant les premiers siècles du moyen âge*, Paris 1893, p. 339-342.

Theodulphi (1) dividit libros N. T., in duos ordines, scilicet in ordinem *Evangelicum*, atque ordinem *Apostolicum*.

Inde autem a saec. XIII libri N. T. in tres distribui coeperunt categorias, eodem modo sicut illi V. T.:

I. Libri *historici*: Quattuor Evangelia, scilicet: secundum Matthaeum, Marcum, Lucam, Ioannem, atque Actus Apostolorum.

II. Libri *didactici*: Quattuordecim B. Pauli epistulae, scilicet: ad Romanos, 1 et 2 ad Corinthios, ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Colossenses, 1 et 2 ad Thessalonicenses, 1 et 2 ad Timotheum, ad Titum, ad Philemonem, ad Hebraeos; ac septem epistulae catholicae: Iacobi, 1 et 2 Petri, 1, 2 et 3 Ioannis, Iudae.

III. Liber *propheticus*: Apocalypsis S. Ioannis.

32. Libri Protocanonici et Deuterocanonici. — Sicut in formatione V. T. fuerunt quidam libri dubii ac controversi, ita pariter sunt et quidam N. T. libri qui non statim ut inspirati ideoque ut canonici ab omnibus agniti sunt, ac propterea deuterocanonici ab omnibus sive Catholicis sive Protestantibus vocantur. Alii vero, qui semper recepti fuerunt, protocanonici denominantur.

Libri deuterocanonici N. T. sunt etiam septem: scilicet: *Epistula ad Hebraeos*, *Iacobi*, *2 Petri*, *2 et 3 Ioannis*, *Iudae* atque *Apocalypsis*.

Recentiori tempore critici quidam dubitarunt de quibusdam partibus scilicet: *De parte finali S. Marci* (Mc. XVI, 9-20); *de sudore sanguineo* (Lc. XXII, 43-44); *de muliere in adulterio deprehensa* (Ioa. VII, 53-VIII, 11). Hae tamen partes non sunt deuterocanonicae, sed propter criticas rationes de eorum dubitatur authentia.

33. Canonicitas ss. librorum N. T. — Scripta N. T. in duos ordines, prouti inveniuntur in *Biblia Theodulphi*, dividi possunt: in ordinem scilicet *Evangelicum* et in ordinem *Apostolicum*. Haec divisio quae in specialibus librorum characteribus fundatur est valde

(1) Haec Biblia manuscripta ad saec. IX ascendit, et asservatur in Bibliotheca Nationali Parisiensi.

antiqua et non solum apud S. Irenaeum et Clementem Alex. (1) sed etiam apud Tertullianum, immo iam in scriptis Marcionis (2) invenitur.

Haec divisio, ut diximus, in specialibus characteribus ipsorum librorum fundamentum habet. Licet enim omnia N. T. scripta sint occasionalia, Evangelia tamen continent doctrinam, quae transcendit historicas circumstantias, quae causa fuerunt compositionis eorum, et ex professo Christi doctrinam atque acta referunt: quod certe dici nequit de Epistulis, nec de Actibus Apostolorum nec de Apocalypsi. Evangelia ergo in N. T. praestantiorem locum obtinuerunt, et se habent sicut Pentateuchus in V. T. Claritatis gratia ergo examinamus separatim canonicitatem Evangeliorum aliorumque librorum N. T.

Antequam ad hoc examen accedamus, iterum recolendam esse credimus distinctionem, supra (§ 5) traditam, inter aetatem compositionis ss. librorum, quae est *terminus a quo* eorum in canonem receptionis, et ipsam receptionem. Libri omnes N. T. in secunda medietate saec. I compositi sunt: mortuo enim ultimo Apostolorum clausa est revelatio. Nullus ergo N. T. liber potest esse aevo apostolico posterior. Sed tamen non statim ac liber aliquis editus fuerat in universa Ecclesia cognosci poterat. Ad hoc enim necessarium erat tempus et quandoque satis longum ut liber aliquis et cognosci et recipi ab omnibus posset; eo magis quod iam illo tempore libri apocryphi divulgari coeperant sub nomine alicuius apostoli.

α) *Canonicitas quattuor Evangeliorum.* Quattuor Evangelia, seu potius Evangelium quadriforme, quale a nobis hodie habetur, erat iam admissum in universa Ecclesia ad finem saec. II. Hoc evidenter probant testimonia S. Irenaei († 202), S. Clementis Alex. († 217) et Tertulliani († 222). Hi Patres enim, qui ad diversas per-

(1) Cf. P. Calmes Th., in recentione operis * Kutter H., *Clemens Alex. und das N. T.*, Giessen, in *Revue Biblique*, VII (1898), p. 302. Batiffol P., *Le Canon du N. T.*, in *Revue Biblique*, XII (1903), p. 20.

(2) Cf. P. Lagrange O. P., in recentione operis * Harnack A., *Die Entstehung der neuen Testaments und die wichtigsten Folgen der neuen Schopfung*, Leipzig 1914, in *Revue Biblique*, XVI (1919), p. 259.

tinent Ecclesias, miro modo inter se conveniunt, fidemque Ecclesiarum Galliae atque Asiae Minoris, Alexandriae et Carthaginis cognoscere faciunt.

S. Irenaeus, *Adv. Haer*, III, XI, 7 s. (PG, VII, 884-888) postquam enumeraverit Evangelia secundum Matthaeum, Lucam, Marcum et Ioannem, subiungit: " Neque autem plura numero quam haec sunt, neque rursus pauciora capit esse Evangelia. Quoniam enim quatuor regiones mundi sunt in quo sumus, et quatuor principales spiritus, et disseminata est Ecclesia super omnem terram, columna autem et firmamentum Ecclesiae est Evangelium et spiritus vitae; consequens est, quatuor habere eam columnas, undique flantes incorruptibilitatem, et vivificantes homines. Et quibus manifestum est quoniam qui est omnium artifex Verbum, qui sedet super cherubim, et continet omnia, declaratus [manifestatus] hominibus, dedit nobis quadriforme Evangelium τετράμορφον τὸ Εὐαγγέλιον, quod uno spiritu continetur. Quemadmodum et David postulans eius adventum, ait: *Qui sedes super cherubim, appare* [Ps. LXXIX, 3]. Etenim cherubim quadriformia, et formae ipsorum imagines sunt dispositionis Filii Dei. *Primum enim animal* inquit, *simile leoni*, efficabile eius, et principale, et regale significans: *secundum vero simile vitulo*, sacrificalem et sacerdotalem ordinationem significans: *tertium vero habens faciem quasi humanam*, eum, qui est secundum hominem adventum eius manifeste describens: *quartum vero simile aquilae volantis* [Apoc. IV, 7]. Spiritus in Ecclesiam advolantis gratiam manifestans. Et Evangelia igitur his consonantia, in quibus insidet Christus Iesus. Aliud enim illam, quae est a Patre, principalem et efficabilem, et gloriosam generationem eius enarrat, dicens sic: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum;* et: *Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil.* Propter hoc et omni fiducia plenum est Evangelium istud; talis est enim persona eius. Id vero quod est secundum Lucam, quoniam quidem sacerdotalis characteris est, a Zacharia sacerdote sacrificante Deo inchoavit. Iam enim saginatus parabatur vitulus, qui pro inventione minoris filii inciperet mactari.

Matthaeus vero eam, quae est secundum hominem generationem eius enarrat: *Liber,* dicens, *generationis Iesu Christi, filii David, filii Abraham.* Et iterum: *Christi autem generatio sic erat* [Mt. I, 1, 18]. Humanae formae igitur hoc Evangelium: propter hoc et per totum Evangelium humiliter sentiens, et mitis homo servatus est. Marcus vero a prophetico Spiritu, ex alto adveniente hominibus, initium fecit: *Initium*, dicens, Evangelii, quemadmodum scriptum est in Isaia propheta [Mc. I, 1]; volatilem et pennatam imaginem Evangelii monstrans: propter hoc et compendiosam et praecurrentem annuntiationem fecit: propheticus enim character est hic... „ [1].

Ex hoc loco manifestum est S. Irenaeum admisisse quattuor tantum Evangelia, eaque eadem ac nostra esse. Secundum ipsum " qui est omnium artifex Verbum... dedit nobis quadriforme Evangelium, quod uno spiritu continetur. „ Sunt ergo haec Evangelia a Deo data, sicut infra expressius scribit de Evangelio S. Matthaei: " Praevidens Spiritus Sanctus depravatores, et praemuniens contra fraudulentiam eorum, per Matthaeum ait: *Christi autem generatio sic erat* „; immo statim inducit etiam Ioa. I, 13, 14 (*ibid.*, III, XVI, 2; PG, VII, 921 s.). Episcopus autem Lugdunensis testis est non solum pro Gallia; sed etiam pro Asia Minori ubi ipse fuisse testatur. Scribens enim ad Florinum, qui in errorem Valentini inciderat, dicit: " Haec vero dogmata, Florine, ut parcissime ac levis-

[1] Locus Apoc. IV, 7: " Et animal primum simile leoni, et secundum animal simile vitulo, et tertium animal habens faciem quasi hominis, et quartum animal simile aquilae volanti „ etiam in Occidente quattuor Evangelistis est applicatus inde a S. Ambrosio, *in Luc. Praef.*, 8 (PL, XV, 1612). Sic S. Hieronymus, *Praef. in Matthaeum* (PL, XXVI, 19), *in Ezech.*, I, 7 (PL, XXV, 21 s.), S. Augustinus, *De Consensu Evan.*, I, 9 (PL, XXXIV, 1046). Aliter tamen fit applicatio. Utramque Augustinus memorans, breviter exprimit: " Qui ex Apocalypsi illa quatuor animalia ad intelligendos quatuor Evangelistas interpretati sunt, probabilius aliquid attendisse illi qui leonem in Matthaeo, hominem in Marco, vitulum in Luca, aquilam in Ioanne intellexerunt, quam illi qui hominem Matthaeo, aquilam Marco, leonem Ioanni tribuerunt. De principiis enim librorum quamdam coniecturam capere voluerunt, non de tota intentione Evangelistarum „.

sime dicam, non sunt sanae doctrinae. Haec dogmata dissentiunt ab Ecclesia... Haec dogmata hi qui ante nos vixere presbyteri, qui etiam apostolorum discipuli extiterant, nequaquam tibi tradiderunt. Vidi enim te, cum adhuc puer essem, in inferiore Asia apud Polycarpum, splendide agentem in palatio, et magnopere laborantem ut te illi approbares... Locum ipsum possim dicere, in quo beatissimus Polycarpus sedens disserebat; processus quoque eius et ingressus, vitaeque totius formam, et corporis speciem; sermones denique quos ad populum habebat; et familiarem consuetudinem, quae illi cum Ioanne, ut narrabat, et cum reliquis qui Dominum ipsum vidissent, intercesserat: et qualiter dicta illorum commemorabat: et quaecumque de Domino ab iisdem audierat... „ (Apud Eus., *Hist. Eccl.*, V, 20; PG, XX, 483-486).

Irenaeus ergo auditor fuit Polycarpi, qui ipse discipulus extiterat Ioannis Evangelistae,

S. Clemens Alex. non minus quam Irenaeus Evangelia ut Scripturam admisit, neque alia recipit praeter quattuor nostra: hinc examinans locum aliquem, quem ut evangelicum citaverat Cassianus, dicit: " In nobis traditis quatuor Evangeliis non habemus hoc dictum, sed in eo, quod est secundum Aegyptios „ (*Strom.* III, 13; PG, VIII, 1194). S. Clemens ergo reicit alia Evangelia et non cognoscit nisi quattuor, quae a maioribus accepit. Initio autem sui operis quod *Stromata* nominatur maiores suos memorat. Eusebius Caes., de eo in sua *Hist. Eccl.*, XI, 11 (PG, XX, 455-458), scribens, locum *Stromatum* citat. En verba Eusebii: " Tunc etiam Alexandriae iisdem cum Pantaeno studiis divinarum Scripturarum incumbens floruit Clemens, prisco illi Romanorum Ecclesiae antistiti et apostolorum discipulo Clementi cognominis. Qui etiam in *Institutionum* Ὑποτυπώσεσιν libris a se conscriptis, Pantaenum praeceptorem suum diserte nominat. Sed et in primo *Stromateon* libro eumdem ipsum designare mihi videtur, ubi praestantissimos quosque apostolicae doctrinae successores a quibus institutus fuerat, recenset his verbis: Hi quidem libri, nequaquam ad ostentationem elaborati, sed quasi viaticum senectutis, et oblivionis remedium, a me sepositi

commentarii reconduntur: ut sint nobis imago quaedam et species adumbrata efficacis illius animataeque doctrinae, quam a viris beatis, et commemoratione profecto dignissimis audire meruimus. Horum autem in Graecia Ionicus, alter in Magna Graecia fuit. Quorum ille quidem ex Coelesyria erat oriundus, ille vero ex Aegypto. Alii autem in Oriente vixerunt; ex quibus alter quidem fuit Assyrius: alter in Palaestina, ab ultima origine Hebraeus. Novissimum vero, tametsi hic doctrinae merito omnium primus erat, cum casu quodam offendissem, tandem in eo acquievi: quem quidem in Aegypto latentem, tamquam venator indagaveram. Hi ergo sinceram apostolicae doctrinae traditionem custodientes, quam iam inde a Petro, Iacobo, Ioanne ac Paulo sanctissimis Apostolis, tamquam filii a parentibus, continua successione traditam acceperant, tametsi raro contingat ut parentibus similes sint filii, Dei nutu ad nostra usque tempora pervenerunt, ut avita et apostolica semina mentibus nostris insererent. „ (Compara *Strom.*, I, 1; PG, VIII, 699-702).

Ex hoc loco evidenter apparet Clementem doctrinam suam referre ad apostolorum auditores et quidem non unius sed variarum regionum. Hoc ergo testimonium de acceptione quattuor Evangeliorum limites Ecclesiae Alexandrinae excedit.

Tertullianus, in Lib. IV *Adv. Marcionem*, II (PL, II, 392) scribit: " Constituimus in primis, evangelicum Instrumentum apostolos auctores habere, quibus hoc munus Evangelii promulgandi ab ipso Domino sit impositum, si et apostolicos, non tamen solos, sed cum apostolis, et post apostolos. Quoniam praedicatio discipulorum suspecta fieri posset de gloriae studio, si non adsistat illi auctoritas magistrorum, imo Christi, qui magistros apostolos fecit. Denique nobis fidem ex apostolis Ioannes et Matthaeus insinuant; ex apostolicis, Lucas et Marcus instaurant, iisdem regulis exorsi, quantum ad unicum Deum attinet Creatorem, et Christum eius, natum ex Virgine, supplementum Legis et Prophetarum. „

Tertullianus evidenter appellat ad criterium de Apostolica origine vel approbatione, et huiusmodi Evangelia, quae *supplementum* sunt *Legis et Prophetarum*, non recipit nisi quattuor.

Ex hoc triplici testimonio, ipsis consentientibns qui minus bene de origine divina vel canonicitate Evangeliorum senserunt, ut Strauss (1), Harnack (2), concludere licet exeunte saec. II in universa Ecclesia quadriforme Evangelium ab omnibus receptum fuisse; ita ut quisque possit se dispensare ab examine scriptorum sequentium Patrum. Nec desunt alia documenta, quamvis minus clara ac completa, quibus usus evangeliorum a tempore compositionis eorum ad finem saec. II probari possit.

Canon Muratorianus (3) est magni momenti, quia quamvis probabiliter non sit textus auctoritate Ecclesiae Romanae emanatus ut probat cl. P. Lagrange (4) contra Harnack (5), tamen bene illustrat canonem huius Ecclesiae. Textus huius canonis mutilus est in initio et abrupte terminatur. Exorditur media propositione Evangelia enumerans canonica: "... quibus tamen interfuit et ita posuit. Tertium Evangelii librum secundum Lucam. Lucas iste medicus, post ascensum Christi, cum eum Paulus quasi itineris studiosum secum adsumpsisset, nomine suo ex opinione conscripsit, Dominum tamen nec ipse vidit in carne, et ideo, prout assequi potuit, ita et a nativitate Ioannis incipit dicere. Quartum Evangeliorum Iohannes ex di-

(1) Strauss D. F., *Leben Jesu*, Tübingen 1846, § 10, p. 47.

(2) * Harnack A., *Osservazioni Storiche sulle origini del N. T.*, in *Atti del Congresso Internazionale di Scienze Storiche*, Roma 1904, XI, p. 126. Et alibi passim ut infra dicetur.

(3) Hic canon a Muratori in ms. saec. VIII in *Bibliotheca Ambrosiana* Mediolani inventus ab eoque in: *Antiquitates Italicae medii aevi*, III, Mediolani 1740, p. 851 editus, multarum opinionum causa fuit circa auctorem eius et tempus, auctoritatem eiusque linguam originalem. Ipse Muratori tribuit eum Caio, * Bunsen Hegesippo, Chapman Clementi Alexandrino, * Harnack Ecclesiae Romanae, * Lightfoot, * Robinson Th., * Zahn, * Bonwetsch, Lagrange eum tribuunt Hippolyto, est ergo initio saec. III compositus, lingua graeca, et sec. * Zahn saec. V vel VI in linguam latinam traslatus.

(4) P. Lagrange M.-J., O. P., *L'auteur du Canon de Muratori*, in *Revue Biblique*, XXXV (1926), pp. 83-88.

(5) * Harnack A., *Ueber den Verfasser und den literarischen Charakter des Muratorischen Fragments*, in *Zeitschr. für die Neutest. Wissenschaft*, XXIV (1925), p. 1-16.

scipulis. Cohortantibus condiscipulis et episcopis suis, dixit: " Conieiunate mihi hodie triduo et quid cuique fuerit revelatum, alterutrum nobis enarremus. „ Eadem nocte revelatum Andreae ex Apostolis, ut recognoscentibus cunctis Iohannes suo nomine cuncta describeret. Et ideo, licet varia singulis Evangeliorum libris principia doceantur, nihil tamen differt credentium fidei, cum uno ac principali spiritu declarata sint in omnibus omnia de nativitate, de passione, de resurrectione, de conversatione cum discipulis suis ac de gemino eius adventu, primo in humilitate despecto, quod fuit, secundo in potestate regali praeclaro, quod futurum est. Quid ergo mirum, si Iohannes tam constanter singula etiam in epistulis suis proferat dicens in semetipsum: *Quae vidimus oculis nostris et auribus audivimus et manus nostrae palpaverunt, haec scripsimus vobis* [1 Io. I, 1-4]. Sic enim non solum visorem se et auditorem, sed et scriptorem omnium mirabilium Domini per ordinem profitetur „ (ll. 1-34; *Ench. Bibl.*, n. 1-2).

Ex hoc textu patet auctorem huius fragmenti cognovisse quattuor Evangelia, quorum tertium Lucae tribuitur, socio Pauli, et quartum Ioanni Apostolo. De Lucam autem dicit: " Dominum autem nec ipse vidit in carne „ supponit ergo alium Evangelistam Dominum in carne non vidisse, quod convenit Marco, auctori secundi Evangelii. Remanet ergo auctor primi Evangelii, qui sine dubio est Matthaeus.

In secunda medietate saec. II habetur aliud documentum magni momenti pro quadriforme Evangelio, *Diatessaron* scilicet Tatiani (c. 175), qui fuit Iustini discipulus. Quidquid est de textu originali, quo Tatiano usus sit pro sua harmonia quattuor Evangeliorum, hoc nostra praecipue interest, quod scilicet Tatianus quattuor Evangelia cognovit nostra eaque in unum congessit. Tatianus considerari potest ut testis Ecclesiae Romanae, ubi Iustini discipulus fuit, et Ecclesiae Edessae et Nisibis, ubi se recepit ac Diatessaron confecit (1).

(1) Cf. P. Lagrange O. P., *L'ancienne version syriaque des Évangiles*, I. — *Le Diatessaron de Tatien*, in *Revue Biblique*, XVII (1920), pp. 324-332.

S. Iustinus in sua *I Apologia* (c. 150-155), n. 67 (PG, VI, 429 s.), describit conventus religiosos Christianorum sui temporis: " Solis, ut dicitur, die [i. e. die Dominico] omnium sive urbes sive agros incolentium in eumdem locum fit conventus, et commentaria Apostolorum τὰ ἀπομνημονεύματα τῶν ἀποστόλων, aut scripta prophetarum leguntur, quoad licet per tempus... „ Quid intelligit Iustinus per *Commentaria Apostolorum?* Hoc constare videtur ex numero praecedenti, ubi sermo est de Eucharistia, quam Apostolos a Christo accepisse tradit Iustinus. " Nam apostoli, dicit ipse, in commentariis suis ἐν τοῖς γενομένοις ὑπ' αὐτῶν ἀπομνημονεύμασιν, quae vocantur Evangelia, ita sibi mandasse Iesum tradiderunt: eum scilicet accepto pane, cum gratias egisset, dixisse: *Hoc facite in meam commemorationem* [Lc. XXII, 19]. *Hoc est corpus meum;* et poculo similiter accepto, actisque gratiis dixisse: *Hic est sanguis meus* [Mt. XXVI, 8], ipsisque solis tradidisse „ (PG, VI, 427-430). Item in Dialogo cum Tryphone Iud., n. 103 (PG, VI, 718), dicit: " Nam in commentariis τοῖς ἀπομνημονεύμασι quos ab eius Apostolis eorumque discipulis scriptos dico, proditum est sudorem, veluti guttas sanguinis, ex eo defluxisse [cf. Lc. XXII, 44], cum precaretur ac diceret: *Si fieri potest, transeat calix iste* [Mt. XXVI, 39]. „ S. Iustinus ergo cognovit Evangelia *Matthaei* et *Lucae*, immo cum loquatur de commentariis ab *Apostolis* et *discipulis* in plurali, concludere licet ipsum cognovisse et *Marcum* et *Ioannem*. De facto enim ad Marcum III, 17 alludit cum scribit, *ibid.*, n. 106 (PG, VI, 723): " Quod autem unum ex Apostolis mutato nomine Petrum appellasse dicitur, atque in apostolicis commentariis id quoque refertur; quodque praeterea duos alios fratres, Zebedaei filios, Boanerges, id est tonitrui filios cognominavit... „ Ad Ioannem vero alludit in *I Apol.*, 61 (PG, VI, 419).

Quod autem haec Apostolorum Commentaria, quae Christi doctrinam continent atque tradunt, sint sacra et canonica evincitur ex *Dialogo*, n. 48 ubi Christi doctrinam aequiparat scriptis prophetarum: " Neque enim humanis doctrinis iussi sumus ab ipso Chri-

sto credere, sed iis quae a beatis prophetis praedicata et ab ipso tradita „ (PG, VI, 581 s.) (1).

Quidam volunt Iustinum usum esse Evangeliis nostris canonicis aequo modo sicut et aliis apocryphis hoc tamen non potest probari (2).

Adhuc et documentis Iustino anterioribus probare possumus exsistentiam et receptionem quattuor Evangeliorum canonicorum. Teste Zahn (3) in litteratura quae ab anno 95 ad annum 140 prodivit inter multiplicia testimonia circa quattuor Evangeliorum usum, non inveniuntur nisi quattuor citationes, qui ab iisdem derivari non possunt!

Pastor Hermae (140-155) quattuor Evangelia cognoscit eisque utitur (4). Ipse quidem *expresse* nullum librum sacrum citat neque ex Novo neque ex Vetere Testamento sed eis evidenter utitur quia quandoque *verbatim* eos laudat (5). Praecipue notandae sunt allusiones ad Evangelium S. Ioannis, quod prae ceteris maiorem patitur

(1) Cf. * Westcott, *op. cit.*, pp. 99-168. Batiffol P., *Le Canon du N. T.* in *Revue Biblique*, XII (1903), p. 24 s.

(2) Ita * Westcott, *op. cit.*, p. 151 scribit: " One such passage [i. e. apocryphus] has been already considered incidentally [p. 135 s.], and it has been shewn that the reading which Justin gives appears elsewhere in Catholic writers; and that in fact it may exhibit the original text. The remaining instances are neither many nor of great weight. The most important of them is the reference to our Lord's discourse with Nicodemus... „ Et compartis textibus concludit: " If these parallels are not sufficient to prove beyond doubt that the quotation of Justin is a reminiscence of St John, at least they indicate that it was not derived from any Apocryphal Gospel... „ (p. 153).

(3) * Zahn Th., *Grundriss der Geschichte des N. T. Kanons* ², Leipzig 1904, p. 39; et p. 41 scribit: " Aber als sicher darf gelten, dass um die Jahre 80-110 sowohl das „ vierfaltige " Ev als das Corpus der 13 Briefe des Paulus entstanden und in den gottesdienstlichen Gebrauch der heiden-christlichen Gemeinde auf der Ganzen Linie von Antiochien bis Rom eingeführt worden sind... „.

(4) Cf. Funk F. X., *Patres Apostolici*, I², Tubingae 1901, p. 650 s.

(5) * Westcott, *op. cit.*, p. 201: " His [Pastoris] knowledge of the New Testament can then only be shewn by passing coincidences of language, and these do in fact occur throughout the book „.

difficultatem ; confer e. gr. *Sim.*, V, 6, 2 et compara cum Io. XV, 15 ; *Sim.* IX, 12, 1 cum Io. X, 7, 9 etc. (1).

Papias (125), discipulus Ioannis Evangelistae (2), sine dubio cognavit IV Evangelium. Praeterea ipse expressis verbis loquitur de Evangelio S. Matthaei : " Matthaeus quidem, inquit, Hebraico sermone divina scripsit oracula : interpretatus est autem unusquisque illa prout potuit ; „ similiter de Marco dicit : " Aiebat etiam inquit Presbyter ille [Ioannes ?] Marcum, Petri interpretem, quaecumque memoriae mandaverat, diligenter perscripsisse : non tamen ordine pertexuisse quae a Domino aut dicta aut gesta fuerant. Neque enim ipse Dominum audiverat aut secutus fuerat unquam. Sed cum Petro, ut dixi, postea versatus est, qui pro audientium utilitate, non vero ut sermonum Domini historiam contexeret, Evangelium praedicabat. Quocirca nihil peccavit Marcus, qui nonnulla ita scripsit, prout ipse memoria repetebat. Id quippe unum studebat, ut ne quid eorum quae audierat, praetermitteret, aut ne quid falsi eis affingeret „ (3).

S. Polycarpus in sua *Epistula ad Philippenses* (a. 107) frequentissime verba ex N. T. excerpit atque omnia nostra Evangelia cognoscit eisque utitur (4).

S. Ignatius († 107) in suis *Epistulis* evidenter manifestat influxum S. Ioannis (5), neque tamen desunt allusiones ad Evangelia S. Matthaei et S. Lucae (6).

S. Clemens Rom. in sua *Epist. ad Corinthios* (96/98) Evan-

(1) * Westcott, *op. cit.*, p. 202 s. notat : " The view which Hermas gives of Christ's nature and work is no less harmonious with Apostolic doctrine, and it offers striking analogies to the Gospel of St John. „

(2) Quoad celebrem textum Eusebii, *Hist Eccl.*, III, c. 39 (PG, XX, 296-300), de Papia, cf. P. Lagrange, *Évangile selon Sant Jean*, Paris 1925, p. XXIX-XXXIV.

(3) Apud Eusebium, *loc. cit.* (PG, XX, 299).

(4) * Westcott, *op. cit.*, p. 36 scribit : " The short epistle of Polycarp contains far more references to the writings of the N. T. than any other work of the first age. „ Pro citationibus cf. Funk, *op. cit.*, p. 647.

(5) * Westcott, *op. cit.*, p. 35 s.

(6) Cf. Funk, *op. cit.*, p. 646 s.

gelia Synoptica adhibuisse videtur (1). Item in *Epistula Barnabae* (96/98) allusiones plus minusve certae inveniuntur ad tria Evangelia Synoptica (2).

In *Doctrina duodecim Apostolorum* (90-100) saepe Evangelium S. Matthaei adhibitum fuisse videtur, rarius vero S. Lucae, probabiles allusiones habetur pro Marco et Ioannae (3).

Concludamus ergo quattuor nostra Evangelia iam apud primos scriptores Christianos cognitos atque adhibitos fuisse et quidem ut dicta et facta Christi, qui utpote Deus et homo, conditor Novi Testamenti, eamdem auctoritatem habuit ac divina V. T. scripta.

β) *Canonicitas aliorum Apostolicorum librorum.*

1° *Actus Apostolorum.* Quoad *terminum a quo* seu tempus compositionis Actuum haec decrevit Pontificia Commissio de Re Biblica: Affirmari debet librum Actuum Apostolorum ad finem captivitatis Romanae Apostoli Pauli fuisse absolutum (*Ench. Bibl.*, n. 414; cf. n. 422),

Clemens. Rom. in *Epist. ad Cor.* XVIII, 1 pendet ab Act. XIII, 22. Item S. Ignatius († 107) Actus cognovit, eis enim utitur in *Epist. ad Magnesianos* V, 1 (cf. Act. I, 25) et *ad Smyrnenses* III, 3 (cf. Act. X, 41). S. Polycarpus in *Epist. ad Philippenses* (a. 107) I, 2 utitur Act. II, 24; II, 1 = Act. X, 42; XII, 2 = Act. VIII, 21. Item Pastor Hermae (140-155) Actus cognovit atque pluries adhibuit (4). Papias (130) loquens de Iusto, qui Barsabas cognominatus est refert ad Actus (5). In secunda medietate saec. II Dionysius, Corinthiorum Episcopus, scribens ad Athenienses memorat " Dionysium Areopagitam, qui a Paolo apostolo ad fidem conversus est, quemadmodum traditur in Actibus Apostolorum, primum omnium Ecclesiae Atheniensis sacerdotium suscepisse „ (6).

(1) *Ibid.*, p. 645.

(2) *Ibid.*, p. 641.

(3) *Ibid.*, p. 640 s.

(4) *Ibid.*, p. 641, 647, 651.

(5) Apud Eusebium, *Hist Eccl.*, III, 39 (PG, XX, 298 s.).

(6) *Ibid.*, IV, 23 (PG, XX, 386) et cf. * De Boor in * Harnack, *Texte und Untersuchungen*, B. V, Heft 2, p. 170.

Plures critici rationalistae haec documenta aliter explicant quam ut citationes vel allusiones ad Actus prout hodie a nobis habentur. Sed tamen Actus continent internam evidentiam de sua Lucana authentia, et supposita authentia Actuum veri simile est auctores supra allatos Actus cognovisse (1). Citationes omnino certae habentur ad finem saec. II et quidem in variis Ecclesiis, quod certe probat Actuum antiquitatem.

S. Irenaeus († 202), *Adv. Haer.*, III, 14 et 15, fuse loquitur de Actibus, quos attribuit Lucae, qui " inseparabilis fuit a Paulo, et cooperarius eius in Evangelio „ (PG, VII, 913); et probans contra Ebionaeos vocationem divinam Pauli ad apostolatum, quae in Actibus narratur, dicit: " Neque Lucam mendacem esse possunt ostendere, veritatem nobis cum omni diligentia annuntiantem. Fortassis enim et propter hoc operatus est Deus plurima Evangelii ostendi per Lucam, quibus necesse haberent omnes uti: ut sequenti testificationi eius, quam habet de actibus et doctrina apostolorum, omnes sequentes, et regulam veritatis inadulteratam habentes, salvari possint „ (*Ibid.*, 917 s.).

S. Clemens Alex. († 217), *Strom.* V, 12 (PG, IX, 123), Actus citat atque Lucae tribuit. Item in deperditis libris Ὑποτυπώσεων teste Eusebio, *Hist. Eccl.*, VI, 14 (PG, XX, 550), commentarium instituit in Actus Apostolorum.

Tertullianus († 222), *Adversus Marcionem*, V, c. I et II (PL, II, 500-504), auctoritatem Actuum defendit, eosque designat iisdem verbis ac alia divina scripta, ut: *Scriptura*, *Instrumento*. (Cf. etiam De Ieiuniis X; PL, II, 1017).

Canon Muratorianus (c. 200) immediate post Evangelia Actus recenset his verbis: " Acta autem omnium Apostolorum sub uno libro scripta sunt. Lucas optimo Theophilo comprendit, quae sub praesentia eius singula gerebantur, sicuti et semota passione Petri evidenter declarat, sed et profectione Pauli ab Urbe ad Spaniam proficiscentis „ (ll. 34-39; *Ench. Bibl.*, n. 3).

(1) Cf. * Salmon G., *A Historical Introduction to the study of the Books of the N. T.*, ⁴ London 1889, Lect. XVIII, p. 318-320.

Ex his variis documentis clare patet Apostolorum Actus non secus ac ipsa Evangelia ad finem saec. II in tota Ecclesia receptos fuisse.

2° *S. Pauli Epistulae.* Primo agendum est de Pauli Epistulis protocanonicis, exclusa scilicet *Epistula ad Hebraeos;* quoad dubia vero circa quasdam Pauli Epistulas, Pastorales praecipue, quae recentiores critici opponunt, agitur in speciali introductione ad singulas, in primordiis enim Ecciesiae talia dubia exstiterunt numquam.

Quamvis Epistulae natura sua sint scripta occasionalia quae ad particularem personam vel Ecclesiam diriguntur, tamen ab antiquis temporibus particulares Ecclesiae curabant sibi acquirere exemplar Epistularum ab Apostolis conscriptarum. Hoc evidenter patet pro Epistulis S. Pauli ex 2 Epist. Petri. III, 15 s. ubi dicitur: " Charissimus frater noster Paulus secundum datam sibi sapientiam scripsit vobis, sicut et in omnibus epistolis, loquens in eis de his, in quibus sunt quaedam difficilia intellectu, quae indocti, et instabiles depravant, sicut et ceteras Scripturas, ad suam ipsorum perditionem. „ Ex hoc textu patet Petrum cognovisse aliquam Epistularum collectionem, quam fidelibus commendat; immo has Epistulas habet ut Scripturam; sed nescimus quasnam ex Epistulis memorat Petrus. Cum ergo iam tempore Petri haec collectio fieri iam coeperat, et aliunde sine ulla contradictione tredecim Epistulae Pauli acceptantur in Ecclesia iam exeunte saec. II concludere licet Patres qui plures ex Epistulis citasse integram collectionem habuisse: ex hoc enim quod aliquam non citant nequit concludi ipsos eam reiecisse. Sint quaedam testimonia:

Canon Muratorianus tredecim Pauli Epistulas recenset: " Epistulae autem Pauli quae a quo loco vel qua ex causa directae sint, volentibus intellegere ipsae declarant. Primum omnium Corinthiis schismae haereses interdicens, deinceps Galatis circumcisionem, Romanis autem ordinem Scripturarum, sed et principium earum esse Christum intimans prolixius scripsit. De quibus singulis [non?] necesse est a nobis disputari, cum ipse beatus Apostolus Paulus sequens predecessoris sui Iohannis ordinem non nisi nominatim septem ecclesiis scribat, ordine tali: ad Corinthios prima, ad

Ephesios secunda, ad Philippenses tertia, ad Colossenses quarta, ad Galatas quinta, ad Thessalonicenses sexta, ad Romanos septima. Verum Corinthiis et Thessalonicensibus licet pro correptione iteretur, una tamen per omnem orbem terrae Ecclesia diffusa esse dinoscitur ; et Iohannes enim in Apocalypsi licet septem ecclesiis scribat, tamen omnibus dicet. Verum ad Philemonem una et ad Titum una et ad Timotheum duae pro affectu et dilectione, in honore tamen Ecclesiae Catholicae, in ordinatione ecclesiasticae disciplinae sanctificatae sunt „ (ll. 39-63 ; *Ench. Bibl.*, n. 4).

Tertullianus, in V *Adv. Marcionem* (a. 207/8) Pauli Epistulas exceptis illis ad Timotheum et ad Titum examinat atque ex eis arguit sicut ex Evangeliis (PL, II, 499-556). Ad Timotheum et ad Titum non citat quia a Marcione reicebantur. " Soli huic Epistolae [Philemonis] brevitas sua, profuit, scribit Tertullianus, ut falsarias manus Marcionis evaderet. Miror tamen, cum ad unum hominem litteras factas receperit, quid ad Timotheum duas, et unam ad Titum de ecclesiastico statu compositas recusaverit. Adfectavit, opinor, etiam numerum Epistolarum interpolare „ (PL, II, 556).

S. Irenaeus et S. Clemens tredecim Pauli Epistulas cognoverunt ac citarunt : (1)

Ad Romanos,	Irenaeus,	*Adv. Haer.*,	II,	22,	2;	Clemens	*Strom*,	II,	21, 134
1 Ad Corinthios	„	„	I,	8,	2;	„	„	I,	1, 10
2 „	„	„	III,	7,	1;	„	„	I,	1, 4
Ad Galatas	„	„	III,	7,	2;	„	„	I,	8, 41
Ad Ephesios	„	„	I,	8,	5;	„	„	III,	4, 28
Ad Philippenses	„	„	I,	10,	1;	„	„	I,	11, 53
Ad Colossenses	„	„	III,	14,	1;	„	„	I,	1, 15
1 Ad Thessalonic.	„	„	V,	6,	1;	„	„	I,	11, 53
2 „	„	„	V,	25,	1;	„	„	V,	3, 17
1 Ad Timotheum	„	„	I,	Praef.,		„	„	II,	11, 52
2 „ „	„	„	III,	14,	1;	„	„	III,	6, 53
Ad Titum	„	„	I,	16,	3,	„	„	I,	14, 59

Deest apud utrumque Epistula ad Philemonem, quae tamen considerata eius brevitate, nullam praebuit citationis occasionem.

(1) * Westcott, *op. cit.*, p. 347, nota.

Praeter hos testes, qui exeunte saec. II completum Epistularum Pauli elenchum tradunt, sunt et alii anteriores, qui plures adhibuerunt sed non omnes; non quidem quia eos non acceptabant, sed quia non est eis oblata citandi occasio: exceptis enim Basilide et Marcione, qui reiectis tribus Pastoralibus epistulis (1 et 2 ad Tim. et ad Tit) decem tantum Pauli epistulas admiserunt, nullibi inveniuntur dubia contra authentiam ac canonicitatem tredecim Pauli epistularum.

In *Doctrina duodecim Apostolorum* sunt vestigia certa Epist. ad Rom., 1 ad Cor.; minus certa pro Epist. ad Ephes., 1 et 2 Thess., 1 Tim. et Tit. — In *Epistula Barnabae* (96/98) citatur ad Rom., 2 Tim., ad Tit. et forsitan ad Gal. — S. Clemens Rom. († 101) citat ad Rom., 1 et 2 ad Cor., 1 ad Tim. et ad Tit. — S. Ignatius († 107) ad Rom., 1 ad Cor., ad Ephes., ad Col., 1 ad Thess., 2 Tim. — S. Polycarpus (107) ad Rom., 1 et 2 ad Cor., ad Gal., ad Ephes., ad Philip., ad Colos., 2 ad Thess., 1 et 2 ad Tim. ([1]). Recte ergo concludit Zahn ([2]) iam a. 110 simul cum quattuor Evangeliis habebatur collectio tredecim Epistularum Pauli.

In *Epistula ad Diognetum*, apud Pastorem Hermae, S. Iustinum, Theophilum, Athenagoram, Tatianum, *in Epistula Ecclesiarum Lugdunensis ac Viennensis* (apud Eus., *Hist. Eccl.*, V, 1) saepissimae Pauli scripta allegantur ([3]).

3° Prima Epistula Ioannis. In *Fragmento Muratoriano* 1 Ep. Ioannis memoratur ac citatur simul eum IV Evangelio; aliae duae vero inter Epistulas recensentur. Ex hoc facto, duce Lightfoot ([4]), plures conclundunt 1 Epistulam Ioannis simul cum Evangelio conscriptam esse ut commendatitiam. Pro identitate auctoris IV Evangelii et 1 Epistulae nulla esse potest seria difficultas, verba enim characteristica S. Ioannis utrobique frequenter occur-

([1]) Cf. Funk, *op. cit.*, I, p. 641, 643, 645, 647 s.

([2]) * Zahn Th., *Grundriss...*, p. 41. Cf. textum p. 107, n. 3 citatum.

([3]) Cf. Funk, *op. cit.*, I, p. 649, 651. — * Westcott, *op. cit.*, p, 589-591.

([4]) * Lightfoot, in *Contemporary Review*, 1875, p. 835,

runt (1). Epistula ergo simul cum Evangelio statim est recepta in Ecclesia, huiusque facti non desunt antiqua documenta. S. Polycarpus (107) ea utitur in sua Epistula, et forsitan etiam Pastor Hermae ad eam alludit (2). Papias 1 Ioannis Epistula usus est (3). S. Irenaeus, *Adv. Haer.*, III, XVI, 5 (PG, VII, 925) citat 1 Epist. II, 18 tamquam Ioannis, discipuli Domini. S. Clemens Alex. saepe eamdem laudat, ut in *Strom.*, II, 15 (PG, VIII, 1003) post verba: " Videtur autem Ioannes quoque in maiore epistola... „ et inducit 1 Io. V, 16-17. Tertullianus, *Adv. Praxeam*, XV (PL, II, 196) scribit: " Si hunc articulum quaestionibus Scripturae veteris non expediam, de Novo Testamento sumam confirmationem nostrae interpretationis... „ et allatis quibusdam locis N. T. prosequitur: " Denique, inspiciamus quem Apostoli viderint. *Quod vidimus*, inquit Ioannes, *quod audivimus*, *oculis nostris vidimus etc*... [1 Io. I, 1] „. Eamdemque Epistulam saepe laudat in *De Pudicitia*, XIX (PL, II, 1072-1074).

Sic ergo 1 Epistula Ioannis ad finem saec. II in omnibus Ecclesiis cognoscitur atque ut Scriptura laudatur. Iure ergo scribit Eusebius, *Hist. Eccl.*, III, 24 (PG, XX, 267): " Porro inter Ioannis scripta praeter Evangelium, prior quoque Epistola tum a recentioribus tum ab antiquis omnibus citra controversiam admittitur. „

4⁰ Prima Epistula Petri. Haec Epistula tam frequenter occurrit in antiquioribus christianis documentis ut inter omnes N. T. libros sit frequentius laudata (4). Iam in 2 Petri III, 1 legimus: " Hanc ecce vobis, charissimi, *secundam* scribo epistolam. „ Prae-

(1) Compara e. gr. 1 Io. 1, 4 cum Io. XVI, 20; 1 Io. II, 11 cum Io. XII, 35; 1 Io. III, 14 cum Io. V, 24; 1 Io. V, 24 cum Io. XVII, 3; 1 Io. IV, 9, 14 cum Io. I, 14; IV, 42; III, 17. * Salmon, *op. cit.*, p. 208, contra tamen sentit * Davidson, eiusque asseclae.

(2) Cf. Funk, *op. cit.*, p. 648, 652.

(3) Eusebius Caes., *Hist. Eccl.*, III, 39; PG, XX, 299-301, qui opus Papiae cognoverat, scripsit: " Porro idem Papias testimoniis ex priore Ioannis Epistolae, et ex priore itidem Petri desumptis utitur „.

(4) Salmon, *op. cit.*, p. 477 scribit: " Indeed, I do not know that any New Testament Book is better attested „.

terea certe allegatur in *Doctrina duodecim Apostolorum* I, 4; in *Epistula Barnabae* IV, 12; VI, 2; VII, 2. Clemens Rom. forsitan ad eam alludit in 1 Cor. XXX, 2; XLIX, 5; et S. Ignatius in *Ep. ad Ephes.* V, 3 (1). S. Polycarpus qui tam frequenter utitur in sua *Epistula* libris N. T., 1 Petri frequentius aliis laudat (2). In *Epistula ad Diognetum* IX, 2 citatur 1 Petri III, 18; eademque saepe occurrit apud Pastorem Hermae (3). Item Papias 1 Petri, teste Eusebio (4), usus est. Irenaeus, *Adv. Haer.*, IV, IX, 2; IV, XVI, 5 (PG, VII, 998, 1019) bis eam allegat sub nomine Petri. S. Clemens Alex. saepius ea usus est, sic in *Strom.* IV, 7 (PG, VIII, 1259); *Paedag.*, I, 6 (*ibid*, 202). Tertullianus, *Scorpiace*, XII, XIV (PL, II, 169, 173)) ea pariter utitur, immo in priori loco ut Scripturam aperte declarat.

Mirum est post tam unanimem scriptorum consensum quod *Fragmentum Muratorianum* de nostra Epistula penitus sileat. Verum est tale silentium non infirmare firmam traditionem circa canonicitatem huius Epistulae, sed tamen non propterea solvitur difficultas, quomodo canon Muratorianus qui intendit dare elenchum omnium librorum saltem N. T. taceat de 1 Petri. Notandum est canonem Muratorianum non reicere istam Epistulam quae certocertius tempore compositionis huius canonis in usu erat: praeterea textus canonis non est tam accuratus. Probabile est ergo hanc Epistulam omissam fuisse involuntarie (5).

Sic ergo patet omnes libros protocanonicos N. T., scilicet quat-

(1) Cf. Funk, *op. cit.*, p. 641, 643, 645, 647.

(2) *Ibid.*, p. 468. Eusebius, *Hist. Eccl.*, IV, 14 (PG, XX, 339) iam notaverat: " Cacterum Polycarpus in illa quae etiamnum extat ad Philippenses epistola, utitur quibusdam testimoniis ex priore Petri Epistola desumptis „.

(3) Cf. Funk, *op. cit.*, p. 649, 652.

(4) Cf. textum supra citatum p. 114, n. 3.

(5) * Zahn, *Geschichte...* II, p. 136 ita textum reconstituit: loco *Apocalypses etiam Iohannis et Petri tantum recipimus, quam quidam ex nostris legi in Ecclesia nolunt* (ll. 71-73; *Ench. Bibl.*, 6); legit: *Apocalypses etiam Iohannis et Petri* — unam — *tantum recipimus* — epistolam; fertur et altera — *quam quidam* etc...

tuor Evangelia, Actus Apostolorum, tredecim Pauli Epistulas, 1 Ioannis et 1 Petri a primordiis Ecclesiae acceptas fuisse. Recte ergo Eusebius Caes., initio saec. IV, hos libros recenset ut communi consensu ab omnibus receptos. Scribit enim in sua *Hist. Eccl.*, III, 25 (PG, XX, 267): " Caeterum opportunum videtur hoc loco Novi Testamenti libros de quibus iam diximus, summatim recensere. Primo igitur collocanda est sacra Evangeliorum quadriga; quam deinde consequuntur Actus Apostolorum. Post hos numerandae sunt Pauli Epistolae. Inde prior illa Ioannis, ac similiter Petri Epistola suscipienda est. Postremo adiungenda est, si ita videbitur, Ioannis Revelatio: de qua quid veteres senserint, suo loco exponemus. Et haec quidem communi omnium consensu recepta sunt. „

34. Canonicitas librorum deuterocanonicorum.

1° *Epistula ad Hebraeos. a) Argumenta in favorem canonicitatis huius Epistulae.* Pro Epistula ad Hebraeos sedulo distinguenda est traditio Ecclesiarum Orientalium a traditione Ecclesiarum Occidentalium. In Oriente enim Epistula haec ab omnibus habebatur ut canonica a Paulo conscripta (1). In Occidente vero, Clemente Rom. excepto, nullum habemus testem ante finem saec. II vel initium saec. III, et etiam tunc Epistula non habetur ut paulina.

In Patrum Apostolicorum scriptis non desunt allusiones ad nostram Epistulam. Ita in *Doctrina duodecim Apostolorum*, X, 3 alluditur ad Hebr. III, 4. Immo Clemens Rom. eam expresse citat, quamvis, more suo, allegans verba, nihil dicit de fonte vel de eius auctore, quos cognitos supponit (2). S. Polycarpus

(1) * Salmon, *op. cit.*, p. 454 scribit: " The Epistle to the Hebrews was accepted as canonical by the whole Eastern Church, with no exception that I know of: and that it was St. Paul's was also the received tradition and popular belief of the East „

(2) Cf. Funk, *op. cit.*, p. 645. De usu Epistulae ad Hebraeos apud Clementem, haec iam notaverat Eusebius, *Hist. Eccl.*, III, 38 (PG, XX, 294): " ...Clementis illa ab omnibus recepta, quam Ecclesiae Romanae nomine ad Corinthiorum Ecclesiam scripsit. In qua cum multas inserat sententias desumptas ex Epistola ad

in *Epistula*, XII,et in *Oratione* super rogum prolata (1), vocat Iesum ὁ αἰώνιος ἀρχιερεύς; character autem sacerdotalis Christi eminet in Epistula ad Hebraeos ubi Christus decies septies ἀρχιερεύς vocatur. S. Iustinus, in *Apologia* I, 12, 63 (PG, VI, 345, 424) vocat Iesum ἀπόστολος, quod nonnisi in Epist. ad Hebr. III, 1 occurrit in Novo Testamento.

Acceptio Epistulae ad Hebraeos ut canonicae atque paulinae apparet praecipue ex Scriptoribus *Ecclesiae Alexandrinae*. Pantaenus, teste Clemente (2) eius discipulo, Epistulam ad Hebraeos cognoscebat eamque Paulo tribuebat. Clemens Alex., teste Eusebio (3),

---

Hebraeos, iisdemque interdum verbis utatur, satis indicat opus illud [ad Hebraeos] nequaquam recens esse. Quamobrem cum reliquis Apostoli scriptis non sine causa hoc etiam recensitum videtur. Cum enim ad Hebraeos patrio sermone scripsisset Paulus, alii Lucam evangelistam, alii hunc de quo loquimur Clementem, Epistolam illam esse interpretatum ferunt. Quod quidem verius videtur, cum praesertim et Clementis, et illa ad Hebraeos Epistola eumdem habeat stylum, nec utriusque scripti sententiae valde inter se discrepent „.

(1) Apud Eusebium, *Hist. Eccl.*, IV, 15 (PG, XX, 256).

(2) Haec Clementis verba a libro Ὑποτυπώσεων excerpta nobis servavit Eusebius, *Hist. Eccl.*, VI, 16 (PG, XX, 551), quorum hic est tenor: " Iam vero, sicut beatus dicebat Presbyter, quando quidem Dominus omnipotentis Dei apostolus ad Hebraeos missos fuerat, prae modestia Paulus, utpote qui ad gentes erat directus, Hebraeorum apostolum se minime inscribit, tum ob suam erga Dominum reverentiam, tum quod ex abundanti ad Hebraeos ipse gentium praeco et apostolus scriberet „. Quod *Beatus Presbyter* de quo loquitur Clemens sit Pantaenus communis est opinio. * Westcott, *op. cit.*, p. 355 notat: " The testimony to the Pauline origine of the Epistle to the Hebrews which is contained in this passage is evidently of the greatest value. There can be little doubt that the 'blessed praesbyter' was Pantaenus; and thus the tradition is carried up almost to the Apostolic age „.

(3) Eusebius, *Hist. Eccl.*, VI, 14 (PG, XX, 550 s.) scribit: " Epistolam autem ad Hebraeos Pauli quidem esse affirmat [Clemens], sed Hebraico sermone utpote ad Hebraeos primum scriptam fuisse: Lucam vero eamdem Graeco sermone studiose interpretatum, Graecis hominibus edidisse. Quare in Epistola et in Actibus Apostolorum eumdem dictionis colorem reperiri. Hanc vero inscriptionem Paulus Apostolus recte atque ordine omissam fuisse observat. Cum enim Hebraeis scriberet,

eamdem defendit sententiam ac propterea in scriptis suis eam ut Pauli allegat (1). Origenes, magistri sententiam de originali lingua Hebraica reiciens, canonicitatem atque authentiam paulinam Epistulae ad Hebraeos defendit (2). In suis operibus saepe eam laudat ut S. Pauli (3). Alii Patres Ecclesiae Alexandrinae eamdem traditionem unanimiter recipiunt et Epistulam ad Haebraeos sub nomine Pauli laudant. Ita S. Dionysius († 268), in *Epistula ad Fabium* (4). Theognostus († c. finem saec. III), *Fragmenta* (PG, X, 241). S. Petrus Alex. († 300), *Epist. Can.*, can. IX (PG, XVIII, 485). S. Alexander Alex. († 328), *De Ariana Haer. Ep.*, 12 (PG, XVIII, 566).

---

qui sinistram de ipso opinionem multo ante combiberant, ipsumque suspectum habebant: prudenti consilio usus, illos absterrere statim ab initio apposita nominis sui inscriptione noluit „.

(1) Cfr. *Strom.* II, 22 (PG, VIII, 1085); VI, 8 (PG, IX, 284).

(2) Eusebius, *Hist. Eccl.*, VI, 25 (PG, XX, 583-586) scribit: " Denique de Epistola ad Hebraeos in homiliis quas in eamdem epistolam conscripsit [Origines], ita sentit: " Stylum epistolae quae inscribitur ad Hebraeos, carere illa sermonis rusticitate quae propria est Apostoli, quippe qui rudem atque imperitum sese confitetur in sermone, id est in forma ac ratione dicendi. Verum epistola illa et in verborum compositione maiorem praefert Graeci sermonis elegantiam, ut fatebitur quisquis de styli differentia perite iudicare potest. Et propterea sententias continet admirabiles, nec scriptis apostolicis ullatenus inferiores. Atque id verissimum esse assentientur, quicunque apostolorum scripta attente perlegerint „. Paucis deinde interpositis haec subiungit: " Ego vero, inquit, ita censeo: sententias quidem ipsas Apostoli esse, dictionem autem et compositionem verborum esse alterius cuiusdam, qui dicta Apostoli commemorare, et quasi in commentarios redigere voluerit ea quae a magistro audiverat. Proinde si quae Ecclesia hanc epistolam pro Paulina habet, eo nomine laudetur. Neque enim temere maiores eam Pauli esse tradiderunt. Quis autem revera illam scripserit, soli Deo notum esse opinor. Sed scriptores quorum monumenta ad nos usque pervenerunt, partim Clementi Romanae urbis episcopo eam ascribunt, partim Lucae qui Evangelium et Actus Apostolorum litteris prodidit „. Cf. * Westcott, *op. cit.*, p. 360 s.

(3) Cf. e. gr. *De Oratione*, 27 (PG, XI, 517, 520); *Comm. in Ioan.*, II, 11 (PG, XIV, 114)...

(4) Apud Eusebium, *Hist. Eccl.*, VI, 41 (PG, XX, 606), citat sub nomine Pauli ad Hebr. X, 34.

S. Athanasius († 373), *Orationes contra Arianos* (PG, XXVI) saepius allegat Epistulam ad Hebraeos, eamque recenset inter Pauli Epistulas in *Epistula Festali* XXXIX (PG, XXVI, 1175 ss.). Didymus († c. 398), *De Trinitate*, I, 15 (PG, XXXIX, 323). S. Cyrillus Alex. († 444), *Thesaurus de Trinit.*, Assertio IV, VII (PG, LXXV, 37, 84). Euthalius (c. 460), *Prologus in quatuordecim S. Pauli Ap. Epistolas* (PG, LXXXV, 693-720) (1).

In Ecclesia Palaestinensi eadem vigebat traditio. Origenes enim sine dubio suam sententiam, iam forsitan ibi exsistentem, magis eradicavit ac diffudit. Eusebius Caes. († 340), *Hist. Eccl.*, III,

(1) Euthalius, praecedentium Patrum opiniones in unum congerens, scribit: " Porro Epistola ad Hebraeos videtur quidem non esse Pauli, tum propter scribendi formam; tum quod suum non praefixerit nomen, quemadmondum in caeteris omnibus epistolis; tum etiam quod dicat: *Quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem? quae cum initium accepisset enarrari a Domino ab eis qui audierunt in nos confermata est contestante Deo signis et portentis* [Ad Hebr. II. 3]. At vero manifesta est causa, cur scribendi forma mutata fuerit. Nam ad Hebraeos patria ipsorum lingua primum scripta, in alium deinceps sermonem a Luca, ut quidam sentiunt, vel ut plerisque videtur a Clemente ad cuius stylum quam proxime accedit, translata fuisse dicitur. Praeterea minime decebat, ut nomen suum Epistulae praefigeret: siquidem Paulus Gentium apostolus erat, non Iudaeorum; societatis namque dextras dederat Petro caeterisque apostolis, ut ipse cum Barnaba in gentes; Petrus vero cum reliquis, in eos qui ex circumcisione erant, apostolatu fungeretur. Quoniam autem commune omnibus erat praedicandi munus, et Iudaei discessionem a lege Paulum docere intellexerant; merito idem Paulus ad Hebraeos scribit Epistolam, ut ostendat se cum caeteris apostolis in praedicanda fide convenire: cum autem ad eos scriberet consentaneum utique non erat, ut se initio Apostolum diceret. Praeterea hanc Epistolam Pauli opus esse, ex eo etiam in sequentibus evincitur, quod in haec verba scribat: *De vinculis etiam meis mecum doluistis* [Ad Hebr. X, 34]; et ex eo quod ait: *Amplius orare, quo celerius restituar vobis* [Ibid., XIII, 19]; et ex hisce aliis eiusdem verbis: *Nostis fratrem nostrum Timotheum dimissum, cum quo, si celerius venerit, videbo vos* [Ibid., XIII, 23]; nemo enim praeter Paulum, ut opinor, Timotheum ad fidei ministerium dimiserat; et hunc brevi exspectans, se una cum eodem ad ipsos venturum pollicetur: id quod saepe in suis Epistolis facere solet. Sunt et alia multa quae hanc epistolam Pauli esse nos docent, ut ex eiusdem Epistolae progressu legentibus patebit „ (PG, LXXXV, 775-778).

3 (PG, XX, 218) scribit: " Pauli vero quatuordecim Epistolae notae sunt omnibus et perspicuae. Sciendum tamen est Epistolam ad Hebraeos a nonnullis ideo esse repudiatam, quod dicerent eam ab Ecclesia Romana pro certa ac genuina Pauli Epistola non haberi. Sed de ista quidem quid veteres tradiderint, suo tempore proferemus. „ In *Hist. Eccl.*, III, 25 (PG, XX, 267-270) enumerans libros N. T., quos in triplicem dividit categoriam, receptorum scilicet, dubiorum, ac spuriorum, Epistulam ad Hebraeos non memorat. Sed in *Hist. Eccl.*, VI, 13 (PG, XX, 547) eam enumerat inter Scripturas " quae a nonnullis repudiantur. „ Ex his textibus atque ex aliis locis ubi passim nostram Epistulam allegat Eusebius evidenter patet ipsum eam ut Paulinam recepisse. S. Cyrillus Hier. († 386), *Catechesis* X, 14 (PG, XXXIII, 679-682) ubi de sacerdotio Christi agit, allegat pluries Epistulam ad Hebraeos. Eam et alibi citat et sine dubio ut Scripturam. S. Epiphanius († 403), *Adv. Haer.*, LXXVI, c. XX, 3 (PG, XLII, 595 s.) verbatim citat ad Hebr. XI, 6 ; et *ibid.*, c. XXXVI, 4 (PG, XLII, 635 s.) eam vocat Sacras Litteras.

In *Ecclesia Antiochena,* exceptis Epistulis S. Ignatii, non extant scripta anteriora Theophilo, qui c. 168-180 illam rexerat Ecclesiam ; iam tamen apud ipsum occurrit probabiliter citatio ex Epist. ad Hebr. XII, 9. In *Epistula Synodali*, quam Episcopi orthodoxi contra Paulum Samosatenum (260-272) confecerunt, inter numerosas ex N. T. libris citationes, habetur etiam ad Hebr. XI, 26 ut opus Apostoli. Pamphilius († 309) presbyter Caesariensis fundavit celebrem Bibliothecam Caesariensem. In Fragmento Coisliniano Epistularum S. Pauli, habetur ante Pastorales Epistula ad Hebraeos : et in nota aliqua dicitur, hoc opus fuisse comparatum cum exemplari, quod exstabat in Bibliotheca S. Pamphilii Caesareae, eiusdem conscriptum manibus. Tandem Epist. ad Hebr. habetur in versione syriaca *Pesitta*. Hic memorare etiam liceat S. Archelaum († c. 280), qui secundum *Acta disputationis cum Manete* (PG, X, 1435) verba Epistulae ad Hebraeos allegat [1]. S. Ephraem († 373), in *Genesi,*

[1] Cf. * Westcott, *op. cit.*, pp. 389-396.

21 et S. Iacobus Nisibenus († 238)? *Sermo de dilectione*, 6, 13, nostra Epistula utuntur. In *Cappadocia* S. Gregorius Naz. († 389/90), *Carmen de Veris Script. libris* 35 (PG, XXXVII, 474), canit: " Decem et quatuor sunt Pauli Epistolae „. S. Basilius († 379), *Adv. Eunom.*, I, 14; IV, 2 (PG, XXIX, 564, 678) allegat Epistulam ad Hebraeos sub nomine Apostoli, vel Pauli. S. Gregorius Nyssenus, († 394), *Adv. Eunom.*, I (PG, XLV, 363) allegat ad Hebr. I, 3 ut dictum Scripturae vel Sapientiae.

Merito ergo concludit S. Hieronymus, *Epist.* CXXIX *ad Dardanum*, 3 (PL, XXII, 1103): " Illud nostris dicendum est, hanc epistolam quae inscribitur ad Hebraeos non solum ab Ecclesiis Orientis, sed ab omnibus retro ecclesiasticis Graeci sermonis scriptoribus quasi Pauli Apostoli suscipi... Quodsi ea Latinorum consuetudo non recipit inter Scripturas canonicas, nec Graecorum quidem Ecclesiae Apocalypsim Ioannis eadem libertate suscipiunt; et tamen nos utramque suscipimus, nequaquam huius temporis consuetudinem, sed veterum scriptorum auctoritatem sequentes „.

β) *Rationes contra canonicitatem Epistulae ad Hebraeos.* Duae sunt praecipue rationes contra receptionem in canonem Epistulae ad Hebraeos: prima scilicet ratio illa est quae iam in Oriente difficultatem creaverat, absentia scilicet nominis Pauli. Altera vero quae solum in Occidente viguit, fuit abusus haereticorum, qui nostram epistulam allegabant, pro suis falsis doctrinis comprobandis. Praeterea notandum est quod alia est quaestio authentiae et alia quaestio canonicitatis (cf. § 4). In Occidente enim tardius admissa est paulina authentia Epistulae ad Hebraeos: eius tamen canonicitas facilius videtur fuisse admissa.

Haec dubia sive contra authentiam sive contra canonicitatem neque apud omnes inveniuntur, neque tradiora sunt fine saec. IV, quando in universa Ecclesia nostra Epistula recipiebatur. Sic Clemens Romanus nostram Epistulam cognovit eaque usus est ut supra diximus. Item S. Irenaeus († 202), *Adv. Haer.*, II, c. 30, n. 9 (PG, VII, 822) allegat ad Hebr. I, 3 verosimiliter ut Scripturam, quamvis taceat nomen auctoris. Secundum Eusebium, *Hist. Eccl.*, V, 26 (PG,

XX, 509) ipse nostra Epistula usus est etiam in opere deperdito : βιβλίον διαλέξεων διαφόρων.

Primus de cuius mente certa documenta habemus, qui Epistulae ad Hebraeos paulinam originem ac canonicitatem negavit fuit Caius (c. 200), presbyter Romanus. " Ille [Caius], scribit Eusebius, *Hist. Eccl.*, VI, 20 (PG, XX, 571-574), dum adversariorum in componendis novis Scripturis temeritatem et audaciam sugillat, tredecim solum divini Apostoli commemorat Epistolas : eam quae ad Hebraeos inscripta est, cum reliquis non annumerans. Sane haec epistola etiamnum a quibusdam Romanis Apostoli esse non creditur „. Item testificat S. Hieronymus, *De Viris Illust.*, 59 (PL, XXIII, 706). *Fragmentum Muratorianum* dicit Paulum *septem* Ecclesiis scripsisse, excludit ergo ab elencho Epistularum Pauli epistulam ad Hebraeos, cuius neque nomen memorat. Cum tamen ibi legatur : " Fertur etiam ad Laodicenses, alia ad Alexandrinos Pauli nomine finctae ad haeresem Marcionis et alia plura, quae in catholicam Ecclesiam recipi non potest „ (ll. 63-67 ; *Ench. Bibl.*, n. 5), plures putant sub nomine " ad Alexandrinos „ venire Epistulam ad Hebraeos. Hoc tamen nullo modo est certum : primo quidem quia Marcio Epistulam ad Hebraeos in suo canone non habebat; secundo quia nullibi Epistula ad Hebraeos vocatur " ad Alexandrinos „; et tertio quia non favet haeresi Marcionis (1). S. Hippolytus († 235), testibus Stephano Gobaro (saec. VI) et Photio (858) (2), originem paulinam negavit. Stephanus hoc asserit etiam de Irenaeo. Hippolytus in fragmentis operum suorum habet claras allusiones ad Epistulam nostram sed numquam ut Paulinam eam allegat. Tertullianus († 222), *De Pudicitia*, 20 (PL, II, 1074 s.), scribit : " Disciplina apostolorum *proprie* quidem instruit ac determinat *principaliter*... Volo tamen ex redundantia alicuius etiam comitis apostolorum testimonium superducere, idoneum confirmandi de proximo iure disciplinam magistrorum. Exstat enim et Barnabas titulus ad Hebraeos, adeo satis

(1) * Salmon, *op. cit.*, p. 456 s.

(2) Stephanus Gobarus, apud Photium, *Cod.* 232 ; et Photius, *Cod.* 121 (PG, CIII, 1103 ; 403).

auctoritatis viro, ut quem Paulus iuxta se constituerit in abstinentiae tenore : *Aut ego solus et Barnabas non habemus hoc operandi potestatem* (1 Cor. IX, 16)? Et utique receptior apud Ecclesias Epistola Barnabae illo apocrypho Pastore moechorum. Monens itaque discipulos, omissis omnibus initiis, ad perfectionem magis tendere, nec rursus fundamenta poenitentiae iacere ab operibus mortuorum... „ Sequitur Hebr. VI, 4, 8, et prosequitur : " Hoc qui ab Apostolis didicit et cum apostolis docuit, nunquam moecho et fornicatori secundum poenitentiam promissam ab Apostolis norat... „ His verbis Tertullianus clare docet epistulam ad Hebraeos non habere Paulum auctorem sed Barnabam. Neque videtur eam habere ut canonicam, quamvis dicat ipsam esse acceptiorem Pastore, est enim inferior scriptis Apostolicis. Tertullianus, ut bonus montanista, allegat Hebr. VI, 4-8, quod forsitan fuit una ex rationibus quare nostra Epistula in Occidente non statim in canonem admitteretur : et tamen Tertullianus eam non urget ut apostolicam vel ab apostolo approbatam sicut Evangelia ! Auctor operis : *Tractatus de libris ss. Scripturarum,* 10, opinionem Tertulliani sequens scribit : " Sed et sanctissimus Barnabas, per ipsum offerimus Deo laudis hostiam labiorum confitentium nomini eius „ sequitur Hebr. XIII, 15 (1). S. Cyprianus († 258), *De Exhort. Martyrii*, 11 (PL, IV, 668) scribit : " Et apostolus Paulus, qui huius legitimi numeri [septem] et certi meminit, ad septem Ecclesias scribit „. Excluditur ergo ad Hebraeos, quam ceteroquin numquam in aliis suis operibus allegat Cyprianus. *Canon Africanus* (a. 359) (2) solum tredecim Pauli Epistulas admittit. S. Optatus Milevitanus (c. 370) numquam utitur nostra Epistula. S. Philastrius, Ep. Brixiensis (c. 387), *Liber de Hae-*

(1) Hoc opus tribuitur Origeni a P. Batiffol, *De l'attribution de l'épître aux Hébreux à saint Barnabé* in *Revue Biblique*, VIII (1899), 278. Haec sententia hodie reicitur et liber tribuitur vel Novatiano (c. 254), cf. * Zahn, *Grundriss...* p. 18 ; vel S. Gregorio Illiberitano, cf. Morin G., in *Revue Bénédictine*, XVII (1900), p, 232 ; et in *Revue d'Histoire et de Littérature Religieuse*, V (1900), 145.

(2) Cf. supra p. 72 s.

resibus, c. 89 (PL, XII, 1200 s.) scribit: " Sunt alii quoque, qui Epistulam Pauli ad Hebraeos non asserunt esse ipsius, sed dicunt aut Barnabae esse apostoli, aut Clementis de urbe Roma episcopi. Alii autem Lucae evangelistae aiunt: Epistolam etiam ad Laodicenses scriptam. Et quia addiderunt in ea quaedam non bene sentientes, inde non legitur in Ecclesia; et si legitur a quibusdam, non tamen in Ecclesia legitur populo, nisi tredecim Epistolae ipsius, et ad Hebraeos interdum. Et in ea quia rethorice scripsit sermone plausibili, inde non putant esse eiusdem Apostoli. Et quia et factum Christum dicit in ea, inde non legitur. De poenitentia autem (Hebr. VI, 4; X, 26) propter Novatianos aeque. Cum ergo factum, dicit Christum (Hebr. III, 2), corpore non divinitate dicit factum, cum doceat ibidem quod divinae sit et paternae substantiae Filius, *qui est splendor gloriae*, inquit, *et imago substantiae eius* (Hebr. I, 3). Poenitudinem etiam non excludit docendo, sed diversum gradum dignitatis ostendit inter hunc qui integrum custodivit, et illum qui peccavit. Dignitatis est igitur detrimentum in eo qui peccavit, non damnum salutis. Nam si fortiter quis pugnaverit per martyrium, recipiet pristinam dignitatem; aut si condigne in hoc saeculo vixerit, impetrat quod desiderat adipisci. Nam et in ipsa epistola rebaptizatores excludit, non baptismum poenitentiae abnegat... „ Ex hoc textu patet Philastrium, quamvis inter tredecim Epistulas Pauli Epistulam ad Hebraeos non comprehendere, eam tamen non reicere sed defendere conatur. S. Ambrosius († 397), II *De Poenitentia*, c. 2 (PL XVI, 518) scribit: " Cum igitur tam evidenti et ipsius Apostoli, et scriptorum eius exemplo redarguuntur, tamen adhuc obniti volunt, et auctoritatem aiunt apostolicae sibi suffragari sententiae, allegantes scriptum ad Hebraeos... „ Sequitur Hebr. VI, 4-6. " Numquid, prosequitur S. Doctor, Paulus adversus factum suum praedicari potuit? Donavit Corinthio peccatum per poenitentiam (2 Cor. II, 40); quomodo hic potuit sententiam suam ipse reprehendere? Ergo quia non potuit quod aedificaverat destruere, non contrarium dixisse eum, sed diversum advertimus. Quod enim contrarium est, se ipsum impugnat: quod diversum est, distinctam solet habere rationem. Ita

autem contrarium non est, ut alterum suffragetur alteri. Etenim quia de remittenda praedicavit poenitentia, debuit et de iis qui iterandum putant baptismum, non silere : et prius sollicitudinem nobis auferri oportuit, ut sciremus etiam post baptismum, si qui peccarent, donari eis posse peccatum ; ne se veniae destitutos iterandi baptismatis opinio vana perverteret : deinde iterandum non esse baptisma rationabili disputatione suadendum fuit. „ Ambrosius ergo non solum defendit orthodoxiam Epistulae nostrae sed et eius originem Paulinam defendere videtur. *Canon Claromontanus* (1) non recenset Epist. ad Philippenses neque duas ad Thessalonicenses, neque ad Hebraeos. Quidam (2) hoc explicant errore ammanuensis, quod faciliter admitti potest pro Epistula ad Philippenses et duobus ad Thessalonicenses, quae semper fuerunt admissae. Epistula vero ad Hebraeos, in isto canone sub nomine *Barnabae Epist.* venit (3). Ultima dubiorum vestigia apparent in Concilio Hipponensi ubi Epistula ad Hebraeos seiuncta ab aliis Pauli Epistulis recensetur : " Pauli Apostoli epistulae tredecim, eiusdem ad Hebraeos una „ (*Ench. Bibl.*, n. 12). Post hoc tempus Concilia, Romanique Pontifices Quattuordecim Pauli Epistulas aequo modo recensent.

2° *Epistula Iacobi.* S. Hieronymus, *De Vir. Illus.*, 2 (PL, XXIII, 369) scribit : " Iacobus, qui appellatur frater Domini (Gal. I, 19)... unam tantum scripsit epistulam, quae de septem Catholicis est, quae et ipsa ab alio quodam sub nomine eius edita asseritur, licet paulatim tempore procedente obtinuerit auctoritatem „. His concisis Hieronymi verbis rationem habes quare haec Epistula inter libros deuterocanonicos recenseatur. Quamvis enim iam apud Patres Apostolicos citationes saltem implicitae non desint, tamen non ita

(1) Cf. supra p. 73.

(2) Ita * Zahn, *Grundriss...*, p. 80, n. 1.

(3) Ita * Brooke Foss Westcott, *The Epistle to the Hebrews* 3, London 1914, p. XXVIII s. : " There can be no reasonable doubt that *the Epistle of Barnabas* which is included in the African (Latin) stichometry contained in the *Cod. Clarom.* refers to this book [Ad Hebraeos] „. Item P. Batiffol, *loc. cit.*, p. 281.

frequenter fuit adhibita (1) : praeterea recentiores insistunt super characterem linguisticum, qui virum litteratum arguit fuisse auctorem (2).

Pro canonicitate tamen Epistulae nostrae plura documenta afferri possunt. In *Ecclesia Romana* Iacobi Epistula cognita et forsitan iam adhibita erat a S. Clemente (3) sine ullo dubio et frequenter a Pastore Hermae (4). In *Asia Minori* forsitan iam S. Polycarpus (5) ea utitur; certe autem adhibetur ab eius discipulo S. Irenaeo (6), qui simul testis est pro *Gallia*. In *Ecclesia Alexandrina* Epistula nostra forsitan adhibetur a S. Clemente (7) et certe ab Origene, qui primus expresse allegat eam sub nomine Iacobi : ἐν τῇ φερομένῃ Ἰακώβου ἐπιστολῇ (*In Ioan.*, XIX, 6; PG, XIV, 569. Cf. etiam in *Ps. 30 ;* PG, XII, 1300). In *Ecclesia Palaestinensi* Epistula Iacobi cognita et adhibita fuit. Ipse Eusebius qui difficultatis pro canonicitate nostrae Epistulae conscius erat, eam expresse allegat sub nomine Sancti Apostoli : λέγει γοῦν ὁ ἱερὸς ἀπόστολος (in Ps. LVI ; PG, XXIII, 504) vel ut Scripturam τῆς Γραφῆς λεγούσης (in *Ps. C; ibid.*, col 1244).

(1) Eusebius, *Hist. Eccl.*, II, 23 (PG, XX, 205 s.) scribit : " Haec sunt quae de Iacobo memorantur, cui etiam adscribi solet epistola prima earum quae Catholicae dicuntur. Quam quidem nonnulli spuriam ac suppositititiam existimant ὡς νοθεύεται μέν. Sane pauci admondum ex vetustioribus, tum huius Epistolae tum illius Iudae quae et ipsa in septem Catholicarum numero recensetur, mentionem facere. Verumtamen has quoque cum caeteris in plurimis Ecclesiis publice lectitari cognovimus „.

(2) De exactitudine linguistica non omnes conveniunt. * Schleiermacher epistulam reicit quia deficiens est in graeca lingua. * Wordsworth, *Studia Biblica*, I, Oxford 1885, 141-150, quem sequitur Cladder, *Zeitschr. für kathol. Theol.*, XXVIII (1904), p. 295 ss., putat primitivam Epistulae linguam fuisse aramaicam.

(3) Cf. Funk, *op. cit.*, p. 645. * Salmon, *op. cit.*, p. 495.

(4) Cf. Funk, *op. cit.*, p. 651 s. - * Salmon, *op. cit.*, p. 494 s.

(5) Compara S. Polycarpum, *Epist. ad Phil.*, XII, 3 cum Iac. I, 4.

(6) Compara S. Irenaeum, *Haer.*, IV, 16 (PG, VII, 1016) cum Iac. II, 23.

(7) Eusebius, *Hist. Eccl.* VI, 14 (PG, XX, 550) dicit Clementem compendiosam narrationem instituisse Epistularum Catholicarum. Hoc idem repetit Photius, *Cod.* 109 (PG, CIII, 383). Cassiodorus vero, *De Instit. Div. Litt.*, 8 (PL, LXX, 1120) loquitur de 1 Petr., 1 et 2 Ioa. et Iacobi ; ubi loco Iacobi legendum esse videtur Iudae. Cf. * Salmon, *op. cit.*, 493 s.

In *Ecclesia Africana* Iacobi Epistula ignorata fuisse videtur a Tertulliano (1) probabiliter tamen habetur in *Canone Africano* (2), et certe recensetur in *Canone Claromontano* et in tria *Concilia Africana* (*Ench. Bibl.*, n. 12, 14).

Ex his documentis sufficienter patet conclusionem Eusebii, qui dicit se Epistulam Iacobi in plurimis Ecclesiis publice lectitari cognovisse; hoc autem est sufficiens signum canonicitatis eiusdem.

3° *Epistula 2 Petri.* Inter libros deuterocanonicos N. T. 2 Petri Epistula videtur graviores pati difficultates. Eusebius, *Hist. Eccl.*, III, 3 (PG, XX, 215-218) scribit: " Quod vero ad Petrum attinet, una eius Epistola, quae prior dici solet, tanquam germana ab omnibus sine controversia admittitur... Quae vero secunda appellatur, eam quidem inter sacros Novi Testamenti libros censitam non esse a maioribus accepimus. Sed tamen cum utilis esse videretur quam plurimis, una cum reliquis sacrae Scripturae libris studiose lectitata est. „ Ibidem c. 25 (PG, XX, 270) dicit: " Ex his vero quae in dubium revocantur, a multis tamen commemorari videmus, est Epistola quae dicitur Iacobi, et quae Iudae, et secunda Petri; Ioannis item altera et tertia, sive illae ab ipso revera evangelista, sive ab altero eiusdem nominis compositae sunt. „ Unam ex rationibus quare in dubium revocatur 2 Petri reddidit S. Hieronymus, *De Vir. Illus.*, I (PL, XXIII, 638), cum diceret: " Simon Petrus... scripsit duas Epistolas, quae Catholicae nominantur: quarum secunda a plerisque eius esse negatur, propter styli cum priore dissonantiam „.

Huic difficultati faciliter responderi potest admittendo varios scriptores quibus S. Petrus usus esset pro scriptis suis. Praeterea,

(1) Loci a * Semler citati, scilicet *Adv. Iud.*, 2 = Iac. II, 23; *De Orat.*, 8 = Iac. I, 13; *De Exhort. Cast.* 7 = Iac. I, 22 et *Adv. Gnost.*, 12 ad probandum usum Epist. Iac. apud Tertullianum non sunt cogentes. Cf. * Westcott, *op. cit.*, p. 373, n. 4; * Salmon, *op. cit.*, p. 496.

(2) In *Canone Africano* post tres Ioannis Epistulas eorumque versuum numerum additur. " una sola „ sine nomine ac numero, quod repetitur post duas Petri Epistulas. Duchesne, in *Bulletin critique*, 1886, p. 117 utrumque locum restituit addendo nomina *Iacobi* atque *Iudae*. Cf. Vigouroux, *op. cit.*, col. 176.

quamvis differentia linguistica inter utramque Epistulam revera exsistat, tamen non deest inter easdem similitudo non parva (1).

Praeterea auctor 2 Petri, profitetur se esse Simonem Petrum, servum et Apostotum Iesu Christi (I, 1); testis est transfigurationis eius (I, 18): auctor prioris epistulae (III, I); praedicit mortem suam secundum verba Christi (cf. Ioa. XXI, 18); sibi arrogat eamdem auctoritatem ac illam Apostoli Pauli (III, 16).

Sed quidquid est de internis argumentis, in quaestione historica externa argumenta praevalere debent (cf. supra § 8), quae texte Eusebio non desunt; a multis enim suo tempore vel etiam antea commemorari videbat epistulas catholicas. Et primum quidem est notanda consonantia inter 2 Petri II et Epistulam Iudae. Quidam critici (2) tenent prioritatem 2 Petri, alii vero communius (3) prioritatem Epistulae Iudae; et in secunda hypothesi Petrus est Iudae testis non e converso (4).

Testimonia *certa* pro exsistentia ac canonicitate 2 Petri ante initium saec. III non habentur. Durante saec. II, immo iam ad finem saec. I allusiones ad nostram epistulam non desunt, non tamen sunt omnino certae ac cogentes; sed, ut pluries diximus, argumentum *ex silentio* urgeri non debet.

Prima allusio habetur in *Epistula Barnabae* XV, 4 (cf. 2 Petr. III, 8). S. Clemens Rom. bis alludit ad nostram Epistulam, I Cor. IX, 4 = 2 Petr. II, 5; 1 Cor. XI, 1 = 2 Petr. II, 6-7. Pastor Hermae pariter cognovit 2 Petri, compara *Vis.*, IV, 3, 4, cum 2

(1) Pro styli diversitate cf. * Salmon, *op. cit.*, p. 543 s. - Pro similitudine vero cf. * Lumby, in *Speaker's Commentary*, p. 228; * Davidson, II, 462 (Apud * Salmon, *op. cit.*, p. 544 s).

(2) Ita * Lumby, *op. cit.*, apud * Salmon, *op. cit.*, p. 542.

(3) Ita * Salmon, *ibid.*, qui scribit: " [I] adhere to the opinion of the great majority of critics, that the priority rests with Jude „.

(4) * Abbott E., in *Expositor*, mensis Ianuarii a. 1882 conatus est probare auctorem 2 Petri cognovisse atque adhibuisse opus Fl. Iosephi, *Antiquitates Iudaicae*, quod circa finem saec. I editum est. Hoc admisso actum est de authentia petrina Epistolae. * Abbott, quidam ut * Farrar, in *Expositor*, 1882, III, p. 403, secuti sunt; non defuerunt tamen strenui oppositores; cf. * Salmon, *op. cit.*, p. 547-559.

Petr. III, 20; *Vis.* I, 3, 4 cum 2 Petr., III, 5; *Sim.*, VIII, 11, 1 cum 2 Petr. III, 9 (1).

Maximi momenti pro exsistentia et canonicitate 2 Epist. Petri est c. III, 10-12 de futura universi destructione ad quam alludere videntur auctor *2 Epist. Clementis ad Corinthios*, XVI, 3; S. Iustinus, *Apol. II*, 7 (PG, VI, 456); Tatianus, *Oratio ad Graec.*, 25 (PG, VI, 861); Minucius Felix, *Octavius*, 10 (PL, III, 276) (2).

S. Irenaeus, *Contra Haer.*, IV, c. IX, 2 (PG, VIII, 998) allegando 1 Petr. dicit: " Et Petrus ait in Epistula sua „; ex quo plures concludunt ipsum non cognovisse nisi unam Petri epistulam: In pluribus aliis locis S. Irenaeus adhibuisse videtur 2 Petri: ita *Contra Haer.*, V, c. XVIII, 2 et c. XXVIII, 3 = 2 Petr. III, 8; ibid., IV, XXXVI, 3 = 2 Pet. II, 5-8 sed tamen non omnes auctores hoc admittunt (3).

Simile dubium habetur pro Clemente Alex. — Eusebius enim et Photius videntur dicere ipsum commentarium instituisse " in omnes Epistulas Catholicas „; sed secundum Cassiodorum, solum in " 1 Petri, 1 et 2 Ioan. et in Iudae [non Iacobi] „ (4); quod confirmatur ex facto quod Clemens, numquam in exstantibus operibus suis allegat epistulas Iacobi, 2 Petri et 3 Ioannis (5).

Origenes, *in Ioan.* V, Praef., 3 (PG, XIV, 187-190) scribit: " Petrus autem, cui tanquam fundamento superstructa est Ecclesia Christi, adversus quem nec ipsae inferorum portae praevaliturae sunt, unam duntaxat omnium consensu receptam reliquit epistolam. Concedamus vero et secundam eius esse: de hac enim ambigitur „. Hinc *in Iosue,* Hom. VII, 1 (PG, XII, 857) semota omni dubitatione dicit: " Petrus etiam duabus Epistolarum suarum personat tubis „. Alibi tamen videtur 2 Petr. ignorare, vel reicere sic *Selecta in Ps. III*

(1) Cf. Funk, *op. cit.*, p. 643, 645, 652.

(2) Cf. * Salmon, *op. cit.*, 537 s.

(3) Sic * Westcott, *op. cit.*, p. 384. * Salmon, *op. cit.*, p. 534-536.

(4) Cf. * Westcott, *op. cit.*, p. 355-358; * Salmon, *op. cit.*, p. 493 s.

(5) Cf. supra p. 126, n. 7.

6 (PG, XII, 1127-1130) dicit: " Quemadmodum in Catholica Epistola Petrus ait... „ sequitur 1 Petr. III, 19.

Discipuli Origenis videntur admisisse canonicitatem nost epistulae. Sic Didymus (313-398), in suo opere *de Trinitate* dec allegat 2 Petri sine ulla hesitatione; item in opere: *Brevis en ratio in Ep. Can.*, tractat epistulam nostram ut canonicam, et bio non caret ultima sententia ubi legimus: " Non est igitur ign randum praesentem epistolam esse falsatam, quae licet publicet non tamen in canone est. „ S. Athanasius (295-373), *Epist. Fe* XXXIX, recenset duas Petri Epistulas. Item Cyrillus Hier. (315-38 *Cathec.* IV, 36 (PG, XXXIII, 495) recenset " septem catholic Epistolas, Iacobi et Petri, Ioannis et Iudae. „

In *Ecclesia Syriae* magna erat difficultas in acceptandis qua tuor ex Catholicis Epistulis, scilicet 2 Petri, 2 et 3 Ioannis et dae, quae in versione *Pesitta* non habebantur: hinc S. Ioann Chrysostomus numquam eis utitur et probabiliter neque Theodoret (386-458). Theodorus Mopsuestenus († 428), sua sequens persona criteria, sicut pro V. T. ita et pro N. T. canonem sibi propriu habebat. De eo haec scribit cl. P. Vosté: " Théodore a exclu Canon biblique les épîtres catholiques, c'est-à-dire l'épître de sai Jacques, la première de saint Jean et la première de saint Pier La question ne se posait même pas pour les autres épîtres deu rocanoniques de Jean, Pierre et Jude „ (1). Paulus Nisibenus, cui opus: *Instituta regularia divinae Legis*, latine interpretatus Iunilius Africanus (c. a. 551), pedissequus est Mospuesteni. I vidit sacros libros in tres categorias: " quaedam perfectae aucto tatis sunt, quaedam mediae, quaedam nullius. „ Perfectae aucto tatis sunt septemdecim [al. sexdecim], scilicet: quattuordecim e stulae Pauli, " beati Petri ad gentes prima, et beati Iohannis p ma. „ Mediae auctoritatis sunt: " Quae adiungi a pluribus diximus Et paulo superius: " Adiungunt quamplurimi quinque alias quae Ap stolorum Canonicae nuncupantur: id est: Iacobi unam, Petri secu

(1) Cf. supra p. 86 nota 1.

dam, Iudae unam, Iohannis duas. „ Ipse tamen Iunilius, ibid., II, 17 allegat 2 Petr. II, 4 sicut verba S. Petri sine ullo dubio. Ebed Iesu († 1318) in suo canone tres tantum ex Catholicis Epistulis recenset: Iacobi scilicet Petri et Ioannis (1).

Pro *Ecclesia Africana* usque ad saec. IV non habetur certitudo. Neque enim Tertullianus neque Cyprianus nostra Epistula usi sunt. Firmillianus Cappadox, ad Cyprianum scribens (*Epistula* 75, 6; PL, III, 1207) alludit ad 2 Petri. Explicite tamen memorantur duae Petri Epistulae in *Canone Africano*, *Claromontano* atque Augustini.

Pro *Ecclesia Romana* notandum est quod 2 Petri deest in *Canone Muratoriano*, nec ullus textus prae-Hieronymianus habetur huius epistulae sicut neque pro epistula Iudae ac pro Apocalypsi (2).

Externa ergo evidentia pro 2 Petri non est tam clara et continua, sed tamen considerata Epistulae brevitate et debilitate argumenti *ex silentio* faciliter explicari possunt dubia circa eius canonicitatem.

4° *Epistula 2 Ioannis*. Considerata brevitate huius epistulae eiusque charactere individuali, nihil mirum quod plures Patres, in scriptis suis nullam invenerunt citandi occasionem. Hoc tamen non significat eos 2 Epistulam Ioannis ignorasse aut reiecisse. Sunt enim sufficentia externa documenta ad probandam exsistentiam et receptionem nostrae Epistulae in universa pene Ecclesia ad finem saec. II, quod eo magis eius probat canonicitatem, quo minus inveniri potest ratio compositionis ac divulgationis eiusmodi Epistulae sub Apostoli nomine, nisi quia revera talis est qualis se praebet.

Prima probabilis allusio ad nostra Epistulam habetur apud Polycarpum, VII, 1 = 2 Ioan. 7. Ad finem saec. II certe cognoscitur ac citatur ab Irenaeo, *contra Haer.*, I, 16, 3 (PG, VII, 633) allegat 2 Ioan. 7, 8 ac si essent in 1 Ioannis quam immediate antea

(1) Apud Assemani, *Bibl. Orient.*, III, Pars I, 3 ss.

(2) * Westcott, *op. cit.*, p. 259.

citaverat (1). Clemens Alex., teste Cassiodoro (2), 1 et 2 Ioa mentatus est. Praeterea in alio opere *Strom.* II, 15 (P 1003), citat 1 Ioan. V, 76-17 post verba " Ioannes quoque iore epistula „ (3). Tertullianus, *De Pudicitia,* 19 (PL, I loquitur de *primore* [al. *prima*] Epistula. Primoris autem initium eiusdem epistulae, (sicut de facto intendere videtur lianus, arguit enim ex primo capite 1 Ioan.) et non eam c stinguit ab aliis epistulis. Tamen paulo tardius in *Africana* nostra Epistula certo fuit recepta: uniformiter enim inve *Canonibus Africano*, *Claromontano*, et S. Augustini.

Similiter in *Ecclesia Romana*, Epistulae Ioannes recep runt. *Canon Muratorianus* loquitur de *Epistulis* Ioannis i (l. 28; *Ench. Bibl.*, n. 2) et paulo inferius dicit " Iohannis catholica habentur „ (l. 69; *Ench. Bibl.*, n. 6) (4). *Ecclesia*

(1) Quaedam antiqua documenta memorant duas Ioannis epistola tres. Prima ab Augustino (PL, XXXV, 1977), *ad Parthos* vocatur. In M (Scholz 62) 2 Ioan. eodem titulo designatur. Hoc etiam forsitan titulo d apud Clementem Alex., *Adumbrationes in Epist. 2 Ioannis* (PG, I " Secunda Ioannis Epistola, quae ad virgines (= παρθένους = Πάρθους) sima est. „ S. Hieronymus, *De nom. hebr.* (PL, XXIII, 896) tria nomin quae habentur in 3 Ioan. memorat sub titulo 2 Ioan. S. Irenaeus 2 Io Ioan. allegat. Ex his variis documentis probilis esse videtur coniectura, ponit 2 Ioan. a quibusdam consideratam fuisse ut appendicem ad 1 Ioa tendendum est tamen id quod supra diximus secundum hypothesim * qui nixus *Canone Muratoriano* 1 Ioan. habet ut Epistulam Evangelii datitiam.

(2) Cassiodorus, De *Institutione Div. Litt.*, c. VIII (PL, LXX, 11 bit: " In Epistolis autem canonicis Clemens Alexandrinus presbyter, qui mateus vocatur, id est, in Epistula sancti Petri prima, sancti Ioannis pri cunda, et Iacobi [lege Iudae] quaedam Attico sermone declaravit. „

(3) Probabiliter sub nomine *maioris Epistulae* S. Clemens secund cedentes animadversiones comprehendit 1 et 2 Ioan. et ideo supponit alt *norem* adesse quae tunc esset 3 Ioan.

(4) Non necessario sequitur *Canonem Muratorianum* unam ex tri nis Epistulis non recepisse. Certe enim cognovit 1 Ioan., quam citat ver 21-39), forsitan et ipse 2 Ioan. cum 1 Ioan. computasset.

2 Ioan. neque 3 Ioan. agnovit. Desunt enim in versione *Pe-*
in *Canone Syriaco* (1), apud Ioan. Chrysostomum.
nterna argumenta externam traditionem circa Ioanneam ori-
Epistulae confirmant. Non enim adduci possit ratio composi-
huius Epistulae quae parvi momenti est atque brevissima.
r tamen se vocat *Seniorem* : πρεσβύτερος ; quo titulo etiam Papias,
trum suum, Ioannem Evangelistam designavit : quod quibusdam
praebuit duos distinguendi Ioannes. Exsistentia tamen secundi
is minime probatur (2). Praeterea lingua atque stilus eadem
ac illa 1 Ioan. et IV Evangelii.

0 *Epistula 3 Ioannis.* Quae de 2 Ioan. iamiam diximus pari
e de 2 Ioan. repeti debent. Idem enim est tenor, eadem bre-
momentum idem. Secundum ea quae de 2 Ioan. dicta sunt pro-
est S. Irenaeum, S. Clementem Alex., *Canonem Muratoria-*
3 Ioan. memorasse vel recensuisse ut epistulam minorem vel 2
; explicite praeterea recensetur in *Canonibus Africano, Claro-*
ano et S. Augustini. Palladius (c. 410), *Dialogus*, c. 20 (PG,
I, 73) explicite memorat nostram epistulam scribens : " Sicut
tholicis scribit ad Caium beatus Ioannes adversus quemdam
pum, hospitalitatem Caii laudans, eumque orans, ne improbos
pos imitetur. Sic autem verba se habent... „ Sequitur 3 Ioan.
9-11.

0 *Epistula Iudae.* Quamvis haec epistola inter deuterocanonica
seatur, non enim defuerunt dubia circa eius canonicitatem, ma-
tamen evidentiam pro receptione sibi vindicat, quia maior
eius in antiquis documentis reperitur. Ut supra diximus 2
pendet ab Epist. Iudae. Praeterea, excepto Irenaeo, con-
testimonia ad finem saec. II acceptant sine hesitatione no-
Epistulam. Silentium autem Irenaei compensatur tum ex usu

(1) Cf. supra p. 81, n. 6.
(2) Cf. * Salmon, *op. cit.*, p. 287-290. P. Lagrange O. P., *L'Évangile selon*
n, Paris 1927, p. XXVI. Ruffini E., *Introd. in S. Script.*, Romae 1925,
, Libr. I, p. 402.

Epistulae Iudae in Inscriptione Martyrii S. Polycarpi (1) tum ex Canone Muratoriano, in quo " Epistula sane Iudae „ (l. 68; *Ench. Bibl.*, n. 6) recensetur.

In *Ecclesia Alexandrina* Epistula Iudae usus est S. Clemens, eamque explicite sub nomine Iudae citat (*Paed.*, III, c. 8; PG VIII, 616; *Stromat.*, III, c. 2; PG, VIII, 1113); immo in deperdito libro Ὑποτυπόσεων, Iudae epistulae et non Iacobi commentasse videtur (Cf. *Fragmenta* in PG, IX, 731-734). Origenes passim eam adhibet, fatetur tamen eam non esse universaliter admissam (2). Sequentes huius Ecclesiae Patres eam similiter recipiunt.

In *Ecclesia Africana* sine haesitatione citatur a Tertulliano, *De Cultu feminarum*, I, c. 3 (PL, I, 1422) qui probat receptionem libri Enoch ex eius apud Iudam usu. Ergo ipse certus erat primo de Iudae Epistulae canonicitate. Nihil ergo mirum quod inveniatur etiam in *Canonibus Africano* (3), *Claromontano* et S. Augustini.

Deest tamen in *Pesitta*, in *Canone Syriaco*, apud Theodorum Mops.

7° *Apocalypsis*. Dionysius Alexandrinus († 264/5) in libro II, operis deperditi Περὶ Ἐπαγγελιῶν, contra Nepotem chiliastam, qui doctrinam suam ex Apocalypsi comprobabat, eundem librum magna cum diligentia illustraverat. Ex fragmenta huius libri, quae Eusebius in *Hist. Eccl.*, VII, c. 25 (PG, XX, 695-704) nobis servavit, status complicatae quaestionis, de authentia et canonicitate libri Apocalypsis optime exponitur.

" Nonnulli quidem, dicit Dionysius, ex iis qui nos praecesserunt,

(1) Funk, *op. cit.*, p. 314.

(2) Cf. *De Princ.*, III, c. 2, n. 1 (PG, XI, 303): " Miminit in Epistula sua Apostolus Iuda. „ Item *Comm. in Mt.*, X, 17 (PG, XIII, 878): " Et Iudas Epistolam scripsit paucorum quidem versuum, plenam vero efficacibus verbis gratiae coelestis. „ Et eam iterum citat ut Iudae Epistulam, *ibid.*, XIII, 27 (PG, XIII, 1167) vel sine verbis introductoriis, *ibid.*, XV, 27 (PG, XIII, 1334). Denique *ibid.*, XVII, 30 (PG, XIII, 1571) scribit: " Quod si quis Iudae quoque Epistolam admittat... „

(3) Cf. tamen quae supra dicta sunt p. 127, n. 2.

ibrum hunc repudiarunt penitus ac refutarunt, singula eius capita refellentes, eumque absque ullo sensu et ratiocinatione scriptum esse nonstrantes. Ad haec inscriptionem libri falsam esse dicunt. Neque enim auctorem eius esse Ioannem. Sed neque eam Revelationem esse, quippe quae tam crasso tamque opaco ignorantiae obducta sit velo. Et non modo Apostolorum neminem, sed ne ullum quidem e sanctis et ecclesiasticis viris huius libelli conditorem fuisse affirmant. Cerinthum enim, qui nominis sui sectam conflavit, cum magnae auctoritatis nomen ad faciendam fidem commentis suis vellet praefigere, Ioannis titulum operi suo indidisse. Quippe hanc Cerinthi opinionem fuisse, regnum Christi terrenum futurum : et in iis maxime rebus quas ipse utpote carnalis, et voluptatibus corporis deditos praecipue concupiscebat, haesurum... (1) Ego vero librum illum reicere omnino non ausim, praesertim cum multi ex fratribus eum magni faciant. Sed huiusmodi de illo opinionem concipiens quasi sensus mei modum excedat, arcanam quamdam planeque admirabilem singularem rerum intelligentiam latere exsistimo. Nam etsi ipse non intelligo, suspicor tamen altiorem quemdam sensum verbis subesse. Eaque non meo ipsius iudicio metior atque aestimo : sed plus fidei tribuens, sublimiora esse censeo quam ut a me perci-

(1) Dionysius non dat nomina auctorum qui ita de Apocalypsi sentiebant. Inter hos tamen enumerari potest Caius († c. 213), presbyter Romanus. Eusebius, *Hist. Eccl.*, III, 29 (PG, XX, 274 s.), scribit : " Caius... haec in *Disputatione* sua scribit : " Sed et Cerinthus, inquit, per revelationes quasdam δι 'αποκαλύψεων tamquam a magno quodam apostolo conscriptas, portenta quaedam quasi ab angelis sibi ostenta commentus nobis introducit, affirmans post resurrectionem regnum Christi in terris futurum, ac rursus homines Hierosolymis degentes cupiditatibus et voluptati corporis obnoxios fore. Additque hostis ille divinarnm Scripturarum, mille annorum spatium in nuptialibus festis transactum iri, quo facilius imperitos homines decipiat „. Quidam tamen negant Caium loqui de Ioannis Apocalypsi, ut Westcott, *op. cit.*, p. 278, n. 2. — Ex editione tamen alicuius Ms. Dionysii Mar Salibi (c. finem saec. XII) a * Gwynn, *Hermathena*, 1888, facta in quo quaedam habentur Caii difficultates contra authentiam ac canonicitatem Apocalypsis valde similes illis, quas Dionysius Alex. exposuit, concludunt alii revera Dionysium Alex. ad Caium Romanum respexisse. Cf. * Salmon, *op. cit.*, p. 227 s.

piantur. Nec ea condemno quae intelligere non potui, verum inde admiror magis quod capere non possum. „ Et paulo inferius: " Ioannem igitur hunc vocari, et librum a Ioanne scriptum esse non inficior. Fateor enim sancti cuiusdam et divino spiritu afflati viri id opus esse. Sed hunc ipsum esse apostolum, Zebedaei filium, Iacobi fratrem; cuius est Evangelium illud quod secundum Ioannem inscribitur, et Epistola Catholica, haud facile concesserim. Nam ex utriusque genio et forma loquendi, et ex libelli totius ductu ac dispositione, non unum eumdemque scriptorem esse conicio. Quippe evangelista quidem nullibi nomen suum ascribit, nec semetipse, aut in Evangelio, aut in Epistola praedicat. „ Et investigans quis hic Ioannes esse posset prosequitur: " Ioannem igitur esse auctorem huius libri, ipsi id affirmanti credendum est. Sed quisnam ille fuerit Ioannes, incertum. Neque enim seipsum esse dicit, sicut in Evangelio saepis dicitur, discipulum illum quem dilexit Dominus, aut illum qui supra pectus Domini recubuit, aut fratrem Iacobi: aut illum denique qui Dominum vidit atque audivit. Aliquid enim horum quae memorata sunt certe dixisset, si seipsum liquido voluisset ostendere. Sed horum quidem nihil posuit: fratrem vero duntaxat et consortem nostrum esse appellavit, et testem Iesu; beatum denique ob visam atque auditam Revelationem. Ac plurimos quidem fuisse opinor Ioanni apostolo cognomines, qui propter singularem erga illum benevolentiam, et quod hominem mirarentur ac suspicerent, et perinde ac ille a Domino diligi ambirent, hoc cognomentum adamaverint: quemadmodum ex fidelium liberis moltos Pauli Petrique nominibus appellatos videmus... „ Et proposito ac reiecto nomine Ioannis Marci, auctoris II Evangelii, prosequitur: " Alium igitur esse censeo: unum scilicet eorum qui in Asia versati sunt. Duo enim apud Ephesum sepulcra fuisse traduntur, utrumque Ioannis nomine insignitum. „ Et concludit Ioannem Apostolum scripsisse Evangelium atque Epistulam; alium vero Ioannem Apocalypsim.

Dionysius ergo bene illustrat difficultates tum contra canonicitatem, quatenus dicit nonnullus hunc librum repudiasse ac refutasse uti Cerinthi partum; tum contra authentiam propter interna argu-

menta. Eius tamen sententia est omnino clara; ipse librum habet ut inspiratum ac canonicum sed minime ut a Ioanne Evangelista conscriptum sed ab altero quodam Ioanne.

Si Caium exipias, et alios paucos forsitan, omnes alii orthodoxi scriptores characterem sacrum Apocalypsis defenderunt. Probabilia huius libri vestigia iam habentur in *Doctrina duodecim Apostolorum* et in I Clementis; certa autem in *Martyrio Polycarpi* et apud Pastorem Hermae (1).

Medio saec. II S. Iustinus *Dial. cum Tryph.*, 81 (PG, VI, 669) alludit ad Apoc. XX, 6 post verba: " Vir apud nos nomine Iohannes, unus ex Christi Apostolis, in Revelatione ἐν ἀποκαλύψει ipsi facta... „ In *Ecclesia Romana*, ubi iam Clemens et Pastor Hermae nostro libro usi erant initio saec. II. Apocalypsis adhibetur a S. Hippolyto († 235), *Tract. de Christo et Antich.*, 6, 29 (PG, X, 733, 749) et ibid. 35 s. (PG, X, 755) scribit: " Haec tibi quidem Isaias vaticinatur: videamus num et Ioannes similia locutus sit. Hic enim cum in Patmo insula versaretur, videt apocalypsim qua detecta orrenda mysteria, eaque narrans, etiam alios affatim docet. Dic, quaeso, beate Ioannes apostole et Domini discipule, quidnam audisti et vidisti de Babylone?... „ Similiter in *Fragmento Muratoriano* dicitur: " Beatus Apostolus Paulus sequens predecessoris sui Iohannis ordinem non nisi nominatim septem ecclesiis scribat... Apocalypses etiam Iohannis... recipimus „ (ll. 47-50, 71-72; *Ench. Bibl.*, n. 4, 6). S. Irenaeus, *Contra Haer.*, V, c. 26, n. 1 (PG, VII, 1192) dicit: " Manifestius adhuc etiam de novissimo tempore, et de his qui sunt in eo decem regibus, in quos dividetur quod nunc regnat imperium, significavit Ioannes Domini discipulus in Apocalypsi, edisserens quae fuerint decem cornua, quae a Daniele visa sunt... „ In *Ecclesia Africana* Tertullianus, *Adv. Marc.* III, 14 (PL, II, 368) scribit: " Apostolus Ioannes in Apocalypsi ensem describit ex ore Dei prodeuntem, bis acutum, praeacutum „ (Apoc. I, 16); et in libr. IV, 5 (PL, II, 395): " Habemus et Ioannis alumnas Ecclesias. Nam etsi

(1) Cf. Funk, *op. cit.*, p. 641, 645, 648, 652.

Apocalypsim eius Marcion respuit, ordo tamen episcoporum ad originem recensus, in Ioannem stabit auctorem. „ Sic ergo iam ad finem saec. II Apocalypsis in toto Occidente receptus fuit.

In Oriente, vero, praeter Iustinum, auctorem *Martyrii S. Polycarpi*, et Irenaeum iam allatos, alii testes non desunt. Papias Ioannis auditor, Polycarpi autem contubernalis, in suo opere Λογίων Κυριακῶν Ἐξηγήσεως partem saltem Apocalysis commentatus est (1). Dionysius (c. 175), Episcopus Corinthi, in sua *Epistula ad Romanos* Apocalypsim imitari videtur (2). Tatianus (c. 175), *Adv. Graecos Oratio*, c. 20 (PG, VI, 852) alludit ad Apoc. XXI. In Ecclesia Alexandrina S. Clemens, *Paed.*, II, c. X (PG, VIII, 527 s,) citat Apoc. VI, 9, II et ibid. c. XII (PG, VIII, 539-542) eumdem librum allegat ut scripturam Apostolicam. Et tandem *Stromat.* VI, 13 (PG, IX, 328) expresse scribit: " Sicut dicit in Apocalypsi Ioannes. „ De Origene, scribit Eusebius, *Hist. Eccl.*, VI, c. 25 (PG, XX, 583): " Iam vero quid dicendum de eo qui in sinu Christi recubuit, Ioanne? Qui quidem unum reliquit Evangelium, tametsi fateatur tot se libros scribere potuisse, quot nec orbis ipse terrarum posset continere. Scripsit praeterea Revelationem, iussus silere, nec septem tonitruum voces perscribere. Scripsit etiam epistolam admodum brevem. Sed concedamus, si placet, et secundam et tertiam ab illo scriptas esse. Neque enim has genuinas illius esse omnes consentiunt. Ambae tamen vix centum versus continent. „ De Dionysio locuti iam sumus, qui admittens canonicitatem duos distinguit Ioannes, Apostolum unum

(1) Irenaeus, *Contra Haer.*, V, c. 33, n. 3 ex Libr. IV, citati Papiae operis quamdam traditionem refert quae ad futurum tempus pertinet et consonat cum Apocalysi Baruch primo a Ceriani edito, Mediolani 1866. Haec citatio his verbis introducitur: " Quemadmodum presbyteri meminerunt, qui Ioannem discipulum Domini viderunt, audisse se ab eo, quemadmodum de temporibus illis docebat Dominus. „ Ad hoc certe alludit Eusebius, *Hist, Eccl.*, III, c. 39 (PG, XX, 299). In Cramer, *Catena in Apocalypsim*, habetur citatio ex Papia. Cf. * Westcott, *op. cit.*, 77 s., n. 3.

(2) Apud Eusebium, *Hist. Eccl.*, IV, c. 23, circa finem (PG, XX, 388 s,). Cf. * Westcott, *op. cit.*, p. 191.

et Ephesinum alterum et huic non illi tribuit Apocalypsim. Dionysium secutus est in Palaestina Eusebius, *Hist. Eccl.*, III, c. 39 (PG, XX, 298) qui, allato loco ex Papia, prosequitur : " Quibus in verbis illud etiam observandum est, bis ab eo positum esse nomen Ioannis Et priorem quidem una cum Petro, Iacobo, Matthaeo et reliquis apostolis recenset, satis indicans se de evangelista Ioanne verba facere. Postea vero adhibita sermonis distinctione, alterum Ioannem cum iis collocat qui extra numerum sunt apostolorum, praeponens illi Aristionem quemdam : eumdemque presbyterum diserte nominat. Quo fit ut vera videatur esse narratio illorum, qui duos eodem nomine appellatos in Asia vixisse dixerunt : et apud Ephesum duo esse sepulcra, et utrumque Ioannis hactenus nominari. Atque hoc animadvertere in primis necessarium puto. Verisimile est enim Revelationem illam Ioannis nomine inscriptam, si non a priore illo, certe ab hoc posteriore visam fuisse... „ Sed ut supra vidimus duorum nominis Ioannes distinctio historico fundamento caret. Ceteroquin Eusebius nonnisi haesitanter haec dicit ; supra enim c. 25 (PG, XX, 267-270) inter libros communi omnium consensu recepta recenset Apocalypsim, dicens : " Postremo adiungenda est, si ita videbitur, Ioannis Revelatio „ et iterum inter libros in dubium revocatos eumdem librum ponit, scribens : " His adiunge, si lubet, Ioannis Revelationem, quam nonnulli, ut superius dixi, ex albo Scripturarum expungunt, alii inter libros omnium consensu probatos annumerant. „ S. Cyrillus Hier., *Cathec.* IV, 36 (PG, XXXIII, 450) inter libros canonicos non recenset Apocalypsim. Deest similiter in versione syriaca *Pesitta*. Ut mox dicitur *Concilium Laodicenum* in suo canone non habet Apocalypsim et *Concilium Toletanum IV* supponit quamplurimos eumdem librum non recipere. Dum ergo exeunte saec. II Apocalypsis unanimiter recipiebatur decursu temporis dubia circa eius canonicitatem crescunt. Ecclesia tamen eius canonicitatem semper tutata est.

35. Definitiones Ecclesiae circa N. T. Canonem. S. Thomas, *Comm. in Epist. ad Hebr.*, Prol., supponere videtur Concilium Nicaenum (a. 325) Epistulam ad Hebraeos in canonem definitive

recensuisse. Ut supra (§ 28) diximus, exsistentia talis definitionis non est certa.

Concilium Laodicenum (a. 360) recenset omnes N. T. libros praeter Apocalypsim: hic enim ut vidimus in Oriente praesertim in dubium revocabatur et ideo Concilium, sicut pro libris V. T. deuterocanonicis, ita et pro Apocalypsi iudicavit de eodem libro silere. En tenor decreti:

Canon 59. " Quod non oportet privatos et vulgares aliquos psalmos dici in Ecclesia, nec libros non canonicos, sed solos canonicos Veteris et Novi Testamenti.

Canon 61. " Novi autem Testamenti haec: Evangelia quatuor, secundum Matthaeum, secundum Marcum, secundum Lucam, secundum Ioannem. Actus Apostolorum. Epistolae catholicae septem, videlicet Iacobi una, Petri duae, Ioannis tres, Iudae una. Epistolae Pauli quatuordecim: ad Romanos una, ad Corinthios duae, ad Galatas una, ad Ephesios una, ad Philippenses una, ad Colossenses una, ad Thessalonicenses duae, ad Hebraeos una, ad Timotheum duae, ad Titum una, ad Philemonem una „ (*Ench. Bibl.*, n. 8, 10).

Concilium Hipponense (a. 393), omnes libros N. T. recenset sed in Epistularum S. Pauli dispositione licet adhuc notare haesitationem, quae viguit in Occidente, quoad authentiam Paulinam Epistulae ad Hebraeos. En definitio:

" [*Placuit*] ut praeter Scripturas canonicas nihil in Ecclesia legatur sub nomine divinarum scripturarum. Sunt autem canonicae Scripturae: [sequitur enumeratio librorum V. T.].

" Novi autem Testamenti: Evangeliorum libri quatuor, Actus Apostolorum liber unus, Pauli Apostoli epistolae tredecim, eiusdem ad Hebraeos una, Petri duae, Ioannis tres, Iacobi una, Iudae una, Apocalypsis Ioannis.

" Ita ut de confirmando isto canone transmarina Ecclesia consulatur. Liceat etiam legi passiones Martyrum, cum anniversarii dies eorum celebratur „ (*Ench. Bibl.*, n. 11-13).

Praeterea in *Enchiridio Biblico,* n. 14 s. dicitur: " Idem canon tribuitur etiam Concilio Carthaginensi quod dicitur tertium, a. 397, et repetitus est a Concilio Chartaginensi (canon 29), a. 419,

cum hoc tamen discrimine, quod loco " Pauli Apostoli epistolae tredecim, eiusdem ad Hebraeos una „, dicatur: " epistolae Pauli numero quatuordecim „. In eodem Concilio, post verba " Apocalypsis Ioannis „, sequens additur conclusio loco praecedentis:

" Hoc etiam fratri et consacerdoti nostro Bonifacio [Papae I, 418-422], urbis Romae episcopo, vel aliis earum partium episcopis pro confirmando isto canone innotescat, quia a Patribus ita accepimus in Ecclesia legendum „.

Innocentius I (401-417) in Epistula " Consulenti tibi „ ad Exsuperium Ep. Tolosanum, a. 405 data omnes libros N. T. recipit, scilicet: " Evangeliorum libri quatuor, Pauli Apostoli epistolae quatuordecim, epistolae Ioannis tres, epistolae Petri duae, epistola Iudae, epistola Iacobi, Actus Apostolorum, Apocalypsis Ioannis „ (*Ench. Bibl.*, n. 16).

S. Gelasius (492-496) in *Decreto* quod dicitur *Gelasii*, sed tribuitur etiam S. Damaso I (366-384) et S. Hormisdae (514-523) edicit:

" *Item ordo scripturarum Novi Tesiamenti quas sancta et catholica suscipit Ecclesia.* Evangelium secundum Matthaeum l. I, secundum Marcum l. I, secundum Lucam l. I, secundum Ioannem l. I.

" *Epistolae Pauli numero quatuordecim.* Ad Romanos una, ad Corinthios duae, ad Ephesios una, ad Thessalonicenses duae, ad Galatas una, ad Philippenses una, ad Colossenses una, ad Timotheum, duae, ad Titum una, ad Philemonem una, ad Hebraeos una.

" *Item Apocalypsis Ioannis Apostoli* l. I. *Actus Apostolorum* l. I.

" *Item Epistolae Canonicae numero septem.* Petri Apostoli epistolae duae, Iacobi Apostoli ep. una, Ioannis Apostoli ep. una, alterius Ioannis presbyteri ep. duae, Iudae Zelotes ep. una „ (*Ench. Bibl.*, n. 20).

Mira sane est distinctio inter duos Ioannes, apostolum scilicet et presbyterum; et quod adhuc magis mirum videtur est quod Ioanni presbyteri tribuuntur duae epistulae, Ioanni vero Apostolo una epistula et Apocalypsis. Hoc tamen explicatur ex eo quod in Occidente firma semper erat persuasio de origine Apocalypsis apostolica. In

hoc decreto ergo nulla est difficultas quoad horum librorum canonicitatem.

Concilium Toletanum IV (a. 633) haec de Apocalypsi definivit: *Capitulum* 17. " Apocalypsim librum multorum Conciliorum auctoritas et synodica sanctorum praesulum Romanorum decreta Ioannis evangelistae esse perscribunt, et inter divinos libros recipiendum constituerunt, et quamplurimi sunt qui eius auctoritatem non recipiunt atque in Ecclesia Dei praedicare contemnunt. Si quis eum deinceps aut non receperit, aut a Pascha usque ad Pentecostem missarum tempore in ecclesia non praedicaverit, excommunicationis sententiam habebit „ (*Ench. Bibl.*, n. 24).

Concilium Florentínum, in *Decreto pro Iacobitis* (a. 1441) omnes libros N. T. recenset hoc ordine: quatuor Evangelia, Matthaei, Marci, Lucae, Ioannis, quatuordecim epistolae Pauli: ad Romanos, duas ad Corinthios, ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Colossenses, duas ad Thessalonicenses, duas ad Timotheum, ad Titum, ad Philemonem, ad Hebraeos; Petri duas, tres Ioannis, unam Iacobi, unam Iudae; Actus Apostolorum et Apocalypsim Ioannis (*Ench. Bibl.*, n. 32).

Tandem *Concilium Tridentinum*, in *Decreto de canonicis Scripturis* (die 8 apr. 1546 data) sollemniter definivit canonem Novi Testamenti, in quo hi libri continentur: " Quatuor Evangelia, secundum Matthaeum, Marcum, Lucam et Ioannem; Actus Apostolorum a Luca Evangelista conscripti; quatuordecim epistulae Pauli Apostoli: ad Romanos, duae ad Corinthios, ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Colossenses, duae ad Thessalonicenses, duae ad Timotheum, ad Titum, ad Philemonem, ad Hebraeos; Petri Apostoli duae; Ioannis Apostoli tres; Iacobi Apostoli una; Iudae Apostoli una, et Apocalypsi Ioannis Apostoli.

" Si quis autem libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia catholica legi consueverunt et in veteri vulgata latina editione habentur, pro sacris et canonicis non susceperit... anathema sit „ (*Ench. Bibl.*, n. 44-45).

Art. II — QUOMODO EFFORMATUS EST CANON N. T.

36. Scopus huius articuli. — Plures libros ut sacros ac canonicos ab antiquissimis Ecclesiae temporibus ex usu Patrum ac Scriptorum Ecclesiasticorum receptos fuisse ex praecedenti articulo probatum manere putamus. Ex hoc tamen facto plures oriuntur quaestiones quarum recta solutio, si quae dari possit, non minoris erit momenti ad intellegendum quomodo ex variis his libris efformatus sit N. T. Canon. Inter has quaestiones sequentes recenseri possunt: Quomodo perventum est ad formandam alteram sacrorum librorum collectionem super illam V. T. iam exsistentem? Quare alia scripta apostolica Evangeliis addita sunt? Cur in N. T. habeantur quattuor et non unum Evangelium? Quare in N. T. habeatur Apocalypsis et quidem quare tantum unus liber? Num N. T. sit conscienter efformatus et quomodo omnes Ecclesiae ad idem N. T. pervenerunt? (1). Ad melius explicandam N. T. formationem primo exponimus quasdam theorias a Protestantibus liberalibus vel a Modernistis propositas; deinde vero quod probabile videtur in ista intricata quaestione exponere conamur.

37. Theoria Scholae Tubingensis. Dum Protestantes, reicientes externum Ecclesiae magisterii criterium ad agnoscendos libros sacros, confugiebant ad interna argumenta, inter quae enumeratur etiam conformitas doctrinae; Baur (2), dux Schola Tubingensis, sacros libros distribuit in duas vel potius tres categorias, eo quod contrarias, ad invicem doctrinas propugnant. Baur supponit magnum schisma exstitisse in prioribus Ecclesiae temporibus et fideles divisos fuisse

(1) Has quinque quaestiones eorumque responsiones atque undecim consequentias exposuit * Harnack A., *Die Entstehung der neuen Testaments und die wichtigsten Folgen der neuen Schopfung*, Leipzig 1914. Cf. huius operis recentionem a P. Lagrange in *Revue Biblique*, XVI (1919), p. 255-275 editam.

(2) * Baur F. C. (1792-1860), suam theoriam plene exposuit in suo opere *Paulus*, edito a. 1845.

in duas sectas quarum una Petrum, altera vero Paulum sequebatur. Hinc libros sacros in duas classes dividuntur prout favent Petri vel Pauli doctrinae. Tales e. gr. sunt Evangelium S. Matthaei (cf. VII, 22 s.), Apocalypsis (cf. II, 9 ; III, 9 ; II, 2), qui contra Paulum dicta supponuntur et ideo doctrinae favent Petri ; ex altera parte Evangelium S. Lucae (compara XII, 3 cum Mt. X, 27), et quattuor Pauli Epistulae : ad Romanos, duae ad Corinthios et ad Galatas (aliae enim ut non-authenticae respuuntur). Decursu temporis deposita acrimonia schismatis nova oritur litteratura conciliatrix duarum partium ; tales sunt Actus Apostolorum, Prima Epistula Clementis... Fundamentum huius theoriae, quam plures amplexi sunt, ex una parte habetur in secta Ebionaeorum cuius praecipuum documentum et clavis huius doctrinae sunt *Recognitiones Clementis ;* ipsi Petrum sequebantur ducem, et Paulum eiusque epistulas non recipiebant ; ex altera parte est secta Marcionitarum, quae Paulum ut unicum apostolum sequebatur.

Haec theoria communiter hodie reicitur, pugnat enim contra documenta a criticis communiter admissa et caret quocumque fundamento historico. Sectae enim Marcionitarum atque Ebionaeorum ante medium saec. II ut invicem oppositae non apparent ; et *Recognitiones Clementis* non sunt anteriora fine saec. II (1).

38. Theoria Harnackiana. — Reiecta theoria Scholae Tubingensis plures auctores conantur explicare formationem Novi Testamenti servando, atque modo suo interpretando, antiquae historiae documenta. Inter hos specialem mentionem meretur Harnack (2). Is

(1) Cf. * Westcott, *op. cit.*, p. 6 s. n. 2. * Salmon, *op. cit.*. pp.13-32.

(2) * Harnack pluries de hoc scripsit argumento, cf. praecipue *Das Neue Test. um das Jahr 200,* Freiburg 1889 eiusque complementum in opere *Lehrbuch der Dogmengeschicte* [3], Freiburg und Leipzig 1894, I, pp. 337-363. Contra ipsum scripsit P. Rose V., O. P., *Études sur les Évangiles* [4], Paris 1905, pp. 1-38 : *Le Tétramorphe.* Cf. etiam Batiffol P., *Le canon du N. T.*, in *Revue Biblique*, XII (1903), pp. 10-26 ; 226-233. Item * Harnack in *Atti del Congresso Internazionale di Scienze Storiche*, [Romae habiti 1-9 Apr. 1903], Romae 1904, Vol. XI, p. 123-128 et cf. responsionem in *Civiltà Cattolica*, LV (1904), p. 72-82 : *Concetti Cattolici e Razionalistici sull'origine del Nuovo Testamento.* Cf. etiam opus supra citatum, *Die Entstehung...* et responsionem P. Lagrange.

distinguit Evangelium quadriforme ab aliis N. T. scriptis quae diversam habent historiam, quamvis finaliter utraque ad N. T. efformandum postquam equalem auctoritatem obtinuerant admissa sint. Utraque vero collectio aliam supponit quaestionem: quare scilicet praeter canonem V. T. primi christiani alterum canonem N. T. admiserunt?

B. Bacon (1) scribit N. T. esse paradoxum: nam scripta neotestamentaria orta sunt, ut protestentur contra tyrannidem canonis alicuius et tandem et ipsa propter crescentem necessitatem alicuius auctoritatis extrinsicae in canonem redacta sunt. Et longe conatur probare Iesum et S. Paulum strenue laborasse ad legalismum iudaicum supprimendum eique directam relationem cum Patre, qui in coelis est, semperque praesens fidelibus, substituendam. Canon ergo creatio est Ecclesiastica.

Haec thesis manifeste gravi errore laborat circa inspirationem librorum N. T.; si enim libri hi ut inspirati habeantur, tunc Deus qui eos inspiravit revera N. T. condidit, et non Ecclesia.

Praeterea perperam urget Bacon oppositionem Christi et S. Pauli contra legem. Nam ipsi sese opponunt Legi, inquantum haec quae erat umbra futurorum per advenientem realitatem evacuata est. " Non veni solvere legem, dicit Iesus, sed adimplere „ (Mt. V, 17); et Paulus: " Translato sacerdotio, necesse est ut legis translatio fiat „ (ad Hebr. VII, 12). Facta autem ac doctrinae adimpletionis V. T. sunt fundamenta N. T. et necessario, ut servari possint, debebant scriptis tradi. Huic necessitati providit Deus sive per inspirationem in libris N. T., sivi per assistentiam Spiritus Sancti in scriptis Patrum, qui sunt organa divinae traditionis.

Harnack vero ponit constitutionem N. T. fuisse aliquid omnino novum ac subitaneum ortum ex controversia cum gnosticis ac montanistis. N. T. enim non apparet nisi a. 170 apud Melitonem Sardensem (2) qui de libris V. T. loquitur ac N. T. supponit. Et e con-

(1) * Bacon B. W., *The Making of the New Testament*, London s. d.

(2) Cf. textum supra allatum p. 74.

tra Iustinus non recognoscit ut auctoritativum nisi V. T. et verba ipsius Christi. Immo secundum Harnack N. T. ortum habuit tempore atque opere Marcionis euisque discipulorum (1).

Marcio, qui reiecerat V. T., necessitate compulsus confirmandi doctrinas suas, novum canonem ex scriptis Apostoli sibi comparavit, cui eamdem auctoritatem tribuit ac canoni V. T. Ecclesia vero quae non minoris aestimabat Apostolum, Marcionis exemplum secuta N. T. canonem et ipsa admisit, non quidem loco V. T. sed simul cum V. T. ut eius complementum.

Sed Marcio non admittebat nisi unicum Evangelium, scilicet Lucae cum variis mutationibus atque omissionibus (2). Harnack ergo conatus est explicare quomodo in Ecclesia habentur quattuor Evangelia et non unum (3). Ipse supponit particulares Ecclesias suam propriam autonomiam habuisse, suum regimen, suam doctrinam in qua includebatur Evangelium particulare et hoc adhuc probari potest ex superstitibus Evangeliis καθ' Ἑβραίους, κατ' Αἰγυπτίους. Postea vero nomen patriae Evangeliorum mutatum est in nomen alicuius Apostoli.

Iam supra vidimus ad finem saec. II in universa Ecclesia accepta fuisse et quidem exclusive quattuor nostra Evangelia, vel secundum phrasim S. Irenaei Evangelium quadriforme (4). Hoc autem non est factum vita S. Irenaei durante elaboratum, sed a maioribus acceptum. Iam ergo a. 155 Irenaeus in Asia Minori quadriforme Evangelium cognoverat ut ab omnibus admissum. Aliunde tamen in in *Homiliis Clementis*, quarum auctor secundum Harnack est S. So-

(1) * Harnack non tantum credit Marcionem formasse canonem N. T. sed etiam ei tribuit primam latinam versionem, qua Tertullianus ipse usus esset in suo opere *Adversus Marcionem*. Hanc thesim plures adoptarunt sive ex protestantibus, ut * Salmon, *op. cit.*, p. 44-47, sive ex catholicis, ita P. D'Alès, *Novatien*, Paris 1925, p. 77 s. Contrariam sententiam tenet * Zahn, *Geschichte des N. T. Kanons*, Erlangen 1888, I, 35 s. * Buonaiuti E., *Marcione e il Nuovo Testamento Latino*, in *Ricerche Religiose*, II (1926), pp. 337-348.

(2) Plures conati sunt reconstruere Evangelium Marcionis, cf. * Westcott, *op. cit.*, p. 314, n. 2.

(3) * Harnack, *Alt. litt.*, II, I, 681 ss.

(4) Cf. supra p. 99-109.

ter Papa (166), adhuc in usu habetur *Evangelium secundum Aegyptios* (1). Item S. Iustinus secundum idem Harnack utitur *Evangelio S. Petri* (2). Item in Aegypto Harnack invenire credit apocryphorum vestigia apud S. Clementem et Origenem. Et sic concludit Harnack Evangelium quadriforme ortum habuisse in Asia Minori, ubi in honore erat IV Evangelium, cui addita sunt non sine difficultate tria synoptica. Hoc factum locum habuit inter annum 120 et 140. Exinde quattuor Evangelia in alias migrarunt Ecclesias et particularia Evangelia reiecta sunt. Acceptum ab omnibus Evangelium quadriforme ad dignitatem Scripturae canonicae evectum est.

Marcio ergo fuit primus qui formavit canon N. T. (3). Ecclesia Christiana Marcionem imitata est et alios libros, facta aliqua selectione, recepit et canonem librorum N. T. formavit.

39. Formatio Canonis N. T. secundum Catholicorum sententiam. — Quidam antiqui putabant S. Ioannem texuisse elenchum ss. librorum ac canonem clausisse. Haec sententia post ea quae in praecedenti articulo exposita sunt admitti non potest.

Iam supra longe probavimus Christum accepisse et Ecclesiae tradidisse ss. libros V. T. — Apostoli atque antiqui Patres Vetus Testamentum adhibuerunt ad suam confirmandam doctrinam. Haec autem acceptio fuit iam primum stadium pro Canone N. T. efformando (4).

Christus sibi elegerat duodecim Apostolos quos doctrina sua imbuerat atque in universum mundum miserat praedicare evangelium

(1) Communiter critici admittunt *Homilias Clementinas*, esse partum sectae Ebionaeorum. Cf. e. gr. * Westcott, *op. cit.*, p. 285-289.

(2) Cf. quae de hac re iam supra posuimus p. 106 s.

(3) * Harnack, *Degmengeschichte...*, I, p. 338, n. 2 scribit: " Das Neue liegt erstens in der Idee an sich, zweitens in der Form ihrer Ausführung, sofern Marcion ein einziges Evangelium mit Ausschluss aller übrigen hat gelten lassen und die paulinischen Briefe hinzufügte, die mit dem Begriff der apostolischen Lehrüberlieferung der Kirche ursprünglich wenig zu thun hatten „.

(4) P. Batiffol, *Le Canon du N. T.*, in *Revue Biblique*, XII (1903), p. 11: " En recevant des Juifs une *Ecriture*, l'Église naissante posait les prémisses du canon du Nouveau Testament „.

omni creaturae. Hoc Evangelium novam continebat doctrinam quam Apostoli a Christo formati authentice praedicabant. Nemo ergo ex primis fidelibus dubitare poterat de tali doctrina eamque acceptabat ac si ab ipso Christo ei tradita esset. Quando ergo Apostoli doctrinam suam non voce sed scripto fidelibus tradebant sive quia ab eis petitam erat, sive quia Apostoli iudicabant aliquid scribere, scripta haec acceptabantur ut ipsi Apostoli, immo ut ipse Christus cuius erant legati: ideoque erant revera scripta sacra auctoritate etiam divina plena (1).

Ipsi Apostoli huius acceptionis exempla primi dederunt. S. Paulus in 1 ad Timotheum V, 18 scribit: " Dicit enim scriptura: Non alligabis os bovi trituranti [Deut. XXV, 4; XXV, 15]. Et: Dignus est operarius mercede sua [Lc. X, 7]. „ Haec citatio ex Evangelio S. Lucae post verba: *Dicit Scriptura*, et simul posita cum verbis ex Deuteronomio desumptis, non obscure indicat Paulum habuisse Evangelium Lucae ut scripturam, eique eamdem tribuisse auctoritatem ac Deuteronomio.

S. Petrus, in 2 Epist. III, 15-16 scribit: " Charissimus frater noster Paulus secundum datam sibi sapientiam scripsit vobis, sicut et in omnibus epistolis, loquens in eis de his, in quibus sunt quaedam difficilia intellectu, quae indocti, et instabiles depravant, sicut et ceteras Scripturas, ad suam ipsorum perditionem. „ Petrus ergo iam cognovit collectionem aliquam Epistularum Pauli, quas instabiles depravant sicut et ceteras Scripturas: sunt ergo pars Scripturae et auctoritate pollentes; eis enim sicut ceteris Scripturis utuntur depravatores et etiam fideles.

S. Ioannes in fine sui Apocalypsis XXII, 18-19 scribit: " Si quis apposuerit ad haec, apponet Deus super illum plagas scriptas

(1) Revera S. Ioannes saepe loquitur de verbis et praeceptis Christi ac si essent verba et praecepta Dei, cf. III, 34; V, 24; VI, 64, 69; XII, 47; XVII, 8. Idem facit S. Paulus vocans Evangelium Christi, Dei Evangelium, cf. Philip. I, 5, 27; Rom. I, 9 etc... Evangelium autem comprehendit doctrinam Christianam, quae scriptis firmata retinet auctoritatem ac ipsa Dei verba in scriptis V. T. contenta.

in libro isto. Et si quis diminuerit de verbis libri prophetiae huius auferet Deus partem eius de libro vitae, et de civitate sancta, et de his, quae scripta sunt in libro isto. „ Quibus verbis S. Ioannes tradit librum suum ut sacrum, auctoritativum cui nemini licet addere vel minuere.

Praeterea multae sunt in N. T. dependentiae inter sacros libros, sed tamen non sunt explicitae citationes auctoris a quo pendent nec aliquid dicitur de eorum characterem sacrum.

Non aliter cogitabant apostolorum discipuli circa doctrinam ab Apostolis receptam. Sic iam auctor Doctrinae duodecim Apostolorum ut scripto suo auctoritatem conciliaret sub Apostolorum nomina illum divulgare curabat (1).

S. Clemens Rom. et S. Ignatius pluries utuntur scriptis N. T. (2). S. Polycarpus, ad Philip. XII, scribit: " Confido enim vos bene exercitatos esse in sacris literis, et nihil vos latet; mihi autem non est concessum. Modo, ut his scripturis dictum est, *irascimini et nolite peccare* [Ps. IV, 5], et *sol non occidat super iracundiam*

(1) Ita P. Batiffol, *op. cit.*, p. 232 scribit: " C'est cette garantie apostolique qui est recherchée, contrôlée. Quand l'auteur inconnu de la *Didaché* voulut donner du crédit à son petit livre, il ne se contenta pas de l'intituler Διδαχὴ Κυρίου, il l'intitula Διδαχὴ Κυρίου διὰ τῶν δώδεκα ἀποστόλων, nous marquant bien ainsi quelle garantie était déjà celle que l'on exigeait, cela dès le Ier siècle. L'Église et la conscience chrétienne avaient institué là un procès d'authenticité. „

(2) Quidam ut * Fracassini, *op. cit.*, p. 251-253 conantur probare hos Patres non acceptasse scripta N. T. quae citant ut canonica, i. e. eamdem habentia auctoritatem sicut scripta V. T. Cf. in contrarium pulchras animadversiones * Westcott, *op. cit.*, p. 8-12 circa valorem harum citationum, et praecipue p. 20 s. ubi scribit: " With regard to the History of the Canon the Apostolic Fathers occupy un important place, undesignedly it may be, but not therefore the less surely. Their evidence indeed is stamped with the characteristics of their position, and implies more than it expresses; but even directly they say much. Within the compass of a few brief letters they shew that the writings of the Apostles were regarded from the first as invested with singular authority, as the true expression, if not the original source, of Christian doctrine and Christian practice... In a word, they mark the beginnings of a written Canon... „

vestram [ad Eph. IV, 26]. „ Ubi evidenter Polycarpus allegat Epist. ad Ephesios sicut scripturam eodem modo ac ipsos Psalmos (1).

Apologetae non minus quam Patres Apostolici libris Sacris N. T. usi sunt, quod certe non facerent nisi bene tenerent talia scripta ut auctoritativa fuisse admissa communiter.

Sic ergo patet ab ipsis Apostolorum temporibus admissa fuisse scripta N. T. ut auctoritativa, decursu vero temporis, praecipue ut Ecclesia melius contra nascentes haereses se defenderet, formatus est canon eliminando scripta non apostolica vel ab Apostolis non approbata quae numquam Ecclesia ut sacra acceperat.

(1) De hoc argumento iterum scribit * Fracassini, *op. cit.*, 253: " Qui l'epistola agli Efesini è citata alla medesima maniera che i Salmi. È però da osservare che i capitoli 11 e 12 non ci sono stati conservati dai codici greci ma solo da un'antica versione latina, sulla fedeltà della quale non possiamo contare incondizionatamente. Inoltre, non è improbabile che s. Policarpo abbia creduto, per un errore di memoria di citare due passi dei Salmi, o che realmente la seconda citazione sia fatta da qualche apocrifo del Vecchio Testamento dal quale dipenda anche l'epistola agli Efesini... „ Sed si ita procedatur quid certi subsistere posset? Adde quod statim post sequuntur allusiones ad Epistulam ad Hebraeos etc...

CAPUT III

DE LIBRIS DEPERDITIS ATQUE APOCRYPHIS

40. Scopus huius capitis. — " Ad perfectiorem... notitiam canonis pertinet etiam cognitio aliqualis librorum deperditorum atque apocryphorum Utriusque Testamenti „ (1). Ex comparatione enim horum librorum cum libris canonicis statim apparet quare hi ab Ecclesia recepti, illi vero reiecti fuerunt. Breviter ergo de his libris aliquid notare non fore inutile credimus.

Art. I — DE LIBRIS DEPERDITIS

41. Libri deperditi eorumque character. In sacris libris pluries fit mentio quorundam librorum sive V. sive N. T. qui hodie non amplius habentur. Tales sunt e. gr. pro V. T.: *Liber Bellorum Domini* (Num. XXI, 14), *Liber Iustorum* (Ios. X, 13 ; 2 Reg, I, 18), *Liber verborum dierum Salomonis* (3 Reg. XI, 41) (2), *Liber verborum Regum Iuda* (3 Reg. XIV, 19 ; 4 Reg. I, 18...). Item libri prophetarum Nathan (1 Par. XXIX, 29), *Gad* (1 Par. XXIX, 29), *Addonis* (2 Par. IX, 29, XII, 15, XIII, 22), *Iehu* (2 Par. XX, 34), *Hosai* (2 Par. XXXIII, 19)... ; pro N. T. epistulae ad *Corinthios* (1 Cor. V, 9), *ad Laodicenos* (Ad Colos. IV, 16)...

Quoad characterem horum librorum videtur esse certum hos libros numquam fuisse canonicos. Tales libri enim neque ab Ecclesia nec probabiliter a Synagoga unquam erant recepti inter sacros libros (cf. supra § 2). Fueruntne inspirati ?

(1) Supra p. 16.

(2) In 3 Reg. IV, 32 legitur: " Locutus est quoque Salomon tría millia parabolas : et fuerunt carmina eius quinque et mille. „

Origenes, in *Prologo in Cant. Cant.* (PG, XIII, 82 s.) agendo de canticis Salomonis, de quibus sermo est in 3 Reg. IV, 32, scribit: " Operosum est autem et procul ab opere proposito, si velimus nunc inquirere quam multorum librorum commemoratio fiat in scripturis divinis, quorum lectio nulla nobis omnino est tradita. Sed neque apud Iudaeos haberi quidem usum huiusmodi reperimus lectionum, quas sive pro eo quod aliqua supra humanam intelligentiam continebant, placuit Spiritui Sancto auferri de medio, sive quod essent de scripturis his quae appellantur apocryphae, pro eo quod multa in eis corrupta et contra fidem veram inveniuntur a maioribus tradita; non placuit eis dari locum, nec admitti ab auctoritate. Supra nos est pronuntiare de talibus. „ Origenes ergo videtur admittere hos libros esse inspiratos quidem sed non canonicos.

E contra Augustinus neque ut inspiratos libros deperditos putat. Scribit enim, *De Civ. Dei*, XVIII, c. 38 (PL, XLI, 598): " In ipsa historia regum Iuda et regum Israel, quae res gestas continet, de quibus eidem Scripturae canonicae credimus, commemorantur plurima, quae ibi non explicantur, et in libris aliis inveniri dicuntur, quos Prophetae scripserunt, et alicubi eorum quoque Prophetarum nomina non tacentur; nec tamen inveniuntur in canone, quam recepit populus Dei. Cuius rei, fateor. causa me latet; nisi quod exsistimo, etiam ipsos, quibus ea quae in auctoritate religionis esse deberent, sanctus utique Spiritus revelabat, alia sicut homines historica diligentia, alia sicut Prophetas inspiratione divina scribere potuisse; atque haec ita fuisse distincta, ut illa tanquam ipsis, ista vero tanquam Deo per ipsos loquendi, iudicarentur esse tribuenda; ac sic illa pertinerent ad ubertatem cognitionis, haec ad religionis auctoritatem: in qua auctoritate custoditur canon, praeter quem si qua iam etiam sub nomine veterum [al. verorum] Prophetarum scripta proferuntur, nec ad ipsam copiam scientiae valent, quoniam utrum eorum sint, quorum esse dicuntur, incertum est. „ S. Augustinus ergo distinguit primo libros, in Scripturis memoratos, qui ab hominibus historica diligentia scribi possunt atque ipsis hominibus sunt tribuendi, et hi sunt libri deperditi; et secundo libros, qui a prophetis

inspiratione divina scribi possunt et ideo Deo per prophetas loquenti sunt tribuendi et hi sunt libri canonici.

Recte ergo concludere possumus verbis P. Schultes (1): " Omnes libri qui vere ac proprie sunt inspirati, simul Ecclesiae *traditi* esse videntur saltem *de facto*: non enim apparet ratio ob quam Deus librum inspiratum, cuius ipse est auctor, Ecclesiae non tradiderit, sc. tanquam fontem verbi divini; possibilitas vero absoluta non excuditur, ut sc. Deus aliquem librum *possit* inspirare quin illum Ecclesiae tradat „ (Cf. supra § 2).

Art. II — DE LIBRIS APOCRYPHIS

42. Quinam sunt libri Apocryphi. Libri apocryphi, ut supra (§ 6) diximus, illi vocantur qui utpote non inspirati in canonem non sunt admissi, quamvis tamen ipsi ut inspirati se praebeant, et ab aliquibus Patribus, necnon in quibusdam Ecclesiis, ut inspirati agniti fuissent.

Huiusmodi libri plures inveniuntur et dividi possuunt in duas categorias: apocryphi N. T. et V. T. Unaquaeque categoria subdividi potest secundam materiam in libris contentam ad analogiam sacrorum librorum:

α) Libri apocryphi Veteris Testamenti:

1° Libri historici:

Liber Iubilaeorum. — Liber 3 Esdrae. — Liber 4 Machabaeorum. — Vita Adae et Evae. — Testamentum Adae. — Scripta Adamitica Armena. — Apocalypsis Mosis. — Ascensio Isaiae. — Historia Rechabitarum. — Paralipomena Ieremiae seu Reliquiae verborum Baruchi. — Liber Orationis Aseneth. — Testamentum Iob. — Testamentum Salomonis.

2° Libri Prophetici sive Apocalypses:

Liber Henoch aethiopicus. — Liber Henoch slavicus seu Liber Secretorum Henoch. — Assumptio Mosis. — Liber 4 Esdrae. —

(1) P. Schultes R., O. P., *De Ecclesia catholica*, Parisiis 1926, p. 514.

Apocalypsis Baruch syriaca (cum Epistula Baruch ad novem et dimidiam tribus). — Apocalypsis Baruch graeca seu Liber 3 Baruch. — Apocalypsis Abrahae. — Testamentum Abrahae. — Apocalysis Eliae. — Apocalysis Sophoniae. — Apocryphum Ezechielis. — Oracula Sibyllina.

3° Libri didactici :

Testamentum duodecim prophetarum. — Psalmus David idiographus. — Psalmi Salomonis. — Oratio Manassae. — Liber 4 Machabaeorum.

β) Libri Apocryphi Novi Testamenti :

4° Libri historici :

Evangelium secundum Hebraeos, Aegyptios, Ebionaeos, duodecim Apostolorum, Petri, Thomae, Nicodemi, Bartholomaei, Philippi etc...

Proto-Evangelium Iacobi. — Evangelium Nativitatis Mariae. — Liber de ortu B. M. V. et de infantia Salvatoris. — Evangelium Infantiae Salvatoris (arabicum). — Historia Iosephi Fabri lignarii. — Acta Pilati. — Descensus Christi ad inferos. — Epistola Pilati. — Anaphora Pilati. — Transitus Mariae.

Acta Petri, Pauli, Petri et Pauli, Ioannis, Andreae, Thomae, Philippi, Matthaei, Barnabae, Praedicatio Petri.

2° Libri didactici :

Epistulae D. N. I. C. et Abigari regis Edesseni. Epistula Apostolorum vel Sermones Domini cum discipulis. — Epistula Pauli ad Laodicenses. — Epistula Pauli ad Alexandrinos. — Epistula Pauli ad Corinthios et Corinthiorum ad Paulum. — Epistulae Pauli ad Senecam philosophum et Senecae ad Paulum.

3° Apocalypses :

Apocalypsis Petri, Pauli, Thomae, Stephani, Ioannis, B. M. Virginis, Bartholomaei (?), Zachariae (1).

(1) Pro concisa descriptione horum librorum, eorumque textu, aetate, momento cf. P. Frey I.-B., *De libris Apocryphis*, in *Institutionibus Biblicis*, 2 Romae 1927, I, pp. 62-110. Idem in *Dictionnaire de la Bible*, supplém., Paris 1928, pp. 325-460 et Amann É, *Ibid.*, 460-533.

43. Momentum Librorum Apocryphorum. — Iam pluries vidimus libros apocryphos cum sacris libris mixtis contentos in quibusdam antiquis versionibus, atque a quibusdam Patribus ut sacros in suis elenchis enumeratos vel ut Scripturam citatos. Immo ipsa Ecclesia quandoque eis utitur in sua liturgia (cf. supra § 3, β 2°).

Non tamen omnes libri apocryphi eamdem continent doctrinam, quandoque enim sunt libri ab haereticis confecti ad suam doctrinam sub nomine alicuius apostoli evulgandam.

Ecclesia ergo ad doctrinam suam puram servandam hos libros arcet a suo canone (cf. *Ench. Bibl.*, 5-7, 17, 22, 37-38, 475, 485). Sicut autem Ecclesia in acceptandis libris canonicis definitiones suas ex Sacra Scriptura Divinaque Traditione hausit, ita pariter iisdem fontibus processu quidem negativo usa est ad libros apocryphos repellendos. Libri enim apocryphi numquam fuerunt ita in Ecclesia universa accepti sicut libri canonici. Usus enim unius libri apud unum vel plures Patres particulares non sufficit pro canonicitate alicuius libri.

Alicuius momenti est difficultas ex Epistula Iudae desumpta ubi liber Enoch laudari videtur (Iud. 14). Iam supra vidimus Tertullianum hunc librum ut Scripturam accepisse propter auctoritatem Iudae. Aliter et aliter tamen hanc difficultatem solverunt Patres. Origenes, *Prol. in Cant. Cant.* (PG, XIII, 83 s.) scribit: " Illud tamen palam est multa vel ab Apostolis, vel ab evangelistis exempla esse prolata, et Novo Testamento inserta, quae in his Scripturis quas canonicas habemus, nunquam legimus, in apocryphis tamen inveniuntur, et evidenter ex ipsis ostenduntur assumpta. Sed ne sic quidem locus apocryphis dandus est: non enim transeundi sunt termini quos statuerunt patres nostri. Potuit enim fieri, ut Apostoli vel evangelistae Sancto Spiritu repleti sciverint quid assumendum ex illis esset scripturis, quidve refutandum; nobis autem non est absque periculo aliquid tale praesumere, quibus non est tanta spiritus abundantia. „ Similiter Augustinus, *De Civ. Dei*, XV, c. 23, n. 4 (PL, XLI, 470), dicit; " Omittamus igitur earum scripturarum fabulas, quae apocryphae nuncupantur, eo quod earum occulta origo non claruit patribus, a

quibus usque ad nos auctoritas veracium scripturarum certissima et notissima successione pervenit. In his autem apocryphis etsi invenitur aliqua veritas, tamen propter multa falsa nulla est canonica auctoritas. Scripsisse quidem nonnulla divina Enoch, illum septimum ab Adam, negare non possumus, cum hoc in Epistola canonica Iudas Apostolus dicat. Sed non frustra non sunt in eo canone Scripturarum, qui servabatur in templo Hebraei populi succedentium diligentia sacerdotum, nisi quia ab antiquitate suspectae fidei iudicata sunt, nec utrum haec essent quae ille scripsisset, poterat inveniri, non talibus proferentibus, qui ea per seriem successionis reperirentur rite servasse. „ Cf. etiam *De Civ. Dei.* XVIII, c. 38 (PL, XLI, 598).

Sic ergo patet magisterium Ecclesiasticum quod in S. Scriptura Divinaque traditione fundatur esse criterium, quo possumus distinguere libros sacros ab apocryphis.

INDEX

PROLEGOMENA

Pag.

§ 1. — Nomen Canonis 3
§ 2. — Canonicitas et Inspiratio 6
§ 3. — Criterium canonicitatis 7
α) apud Iudaeos 7
β) apud Christianos 8
§ 4. — Canonicitas et authentia 13
§ 5. — Canonicitas atque aetas compositionis ss. librorum 14
§ 6. — Libri canonici et libri apocryphi 14
§ 7. — Methodus sequenda 15
§ 8. — Varia argumenta eorumque valor 15
§ 9. — Divisio quaestionis 16

Caput I.

FORMATIO CANONIS V. T.

§ 10. — Difficultas quaestionis eiusque partitio 17

Art. 1. — Historia canonis V. T. apud Iudaeos.

§ 11. — Libri protocanonici et deuterocanonici 17
§ 12. — Divisio atque ordo librorum V. T. 18
§ 13. — Duplex Iudaeorum canon 20
§ 14. — Canonicitas librorum deuterocanonicorum 21
§ 15. — Origo canonis Veteris Testamenti 29
§ 16. — Expenduntur antiqua documenta circa Esdrinam Canonis formationem 32
α) Libri Esdrae (canonici) 32
β) 2 Machabaeorum 32
γ) Fl. Iosephus 32
δ) 4 Esdrae 33
ε) Talmud babylonicum 34
ζ) Patres 35
§ 17. — Sententia de Esdra auctore Canonis Palaestinensis diudicatur. . 35
§ 18. — Sententia probabilior de canonis formatione 36
§ 19. — Sententia Protestantium Liberalium 37
§ 20. — Reicitur sententia Protestantium Liberalium 39
§ 21. — Catholicorum Sententia exponitur 39
α) Pentateuchus Samaritanus 40
β) Versio Alexandrina 41
γ) Prologus libri Ecclesiastici 41
δ) Testimonium ss. librorum 43
§ 22. — Conclusio. De canonis formatione apud Iudaeos 46

Art. II — Historia canonis V. T. apud Christianos

§ 23. — Canon V. T. tempore Christi atque Apostolorum 47
§ 24. — Citationes ex Vetere in Novo Testamento 48
§ 25. — Canon V. T. apud Patres 53
§ 26. — Deuterocanonicorum usus apud Patres 54
§ 27. — Argumenta contra canonicitatem librorum deuterocanonicorum . . 74
§ 28. — Definitiones Ecclesiae circa Canonem ss. librorum V. T. 86
§ 29. — Conclusio: Ecclesiae V. T. canon secundum sollemnem Concilii Tridentini definitionem 90

CAPUT II.

FORMATIO CANONIS N. T.

§ 30. — Partitio quaestionis 97

Art. I — Sacri Libri Novi Testamenti

§ 31. — Divisio atque ordo librorum N. T. 97
§ 32. — Libri protocanonici et Deuterocanonici 98
§ 33. — Canonicitas ss. librorum N. T. 99
α) Canonicitas quattuor Evangeliorum 99
β) Canonicitas aliorum Apostolicorum librorum
1° Actus Apostolorum 109
2° S. Pauli Epistulae 111
3° Prima Epistula Ioannis 113
4° Prima Epistula Petri 114
§ 34. — Canonicitas librorum Deuterocanonicorum
1° Epistula ad Hebraeos 116
2° Epistula Iacobi 125
3° Secunda Epistula Petri 127
4° Secunda Epistula Ioannis 131
5° Tertia Epistula Ioannis 133
6° Epistula Iudae 133
7° Apocalypsis 134
§ 35. — Ecclesiae definitiones 139

Art. II — Quomodo efformatus est N. T. canon

§ 36. — Scopus huius articuli 143
§ 37. — Theoria Scholae Tubingensis 143
§ 38. — Theoria Harnackiana 144
§ 39. — Formatio Canonis secundum Catholicorum sententiam . . . 147

Caput III.

DE LIBRIS DEPERDITIS ATQUE APOCRYPHIS.

§ 40. — Scopus huius capitis 151

Art. I — De libris deperditis

§ 41. — Libri deperditi eorumque character 151

Art. II — De Libris Apocryphis

§ 42. — Quinam sunt libri apocryphi 153
§ 43. — Momentum librorum apocryphorum 155

14,355

220.1
Z16

Zarb, Seraphinus M.

AUTHOR

De Historia Canonis Utriusque

14,3

TITLE Testamenti

DATE DUE | BORROWER'S NAME

4/5

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

GRADUATE THEOLOGICAL UNION LIBRARY
BERKELEY, CA 94709